

Nat. 7

MICHAEL KRISER
1655



ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ
S A C R Æ,

an 8

DISPUTATIO XXVI.

De

ARGUMENTIS
PHOTINIANORUM,
QUIBUS CHRISTI REDEM-
ptoris meritum & satisfactionem im-
pugnare nituntur.

*In Inclytâ Witteberg. Academia ad disputan-
dum in privato Collegio proposita.*

SUB PRÆSIDIO

BALTH. MEISNERI, SS. Th. D.
& moralium Prof. Publ.

Respondente

M. SALOMONE LENZIO.

Habebitur 28. Octob. ab hora 2. pomerid.



WITTEBERGÆ

Typis GORMANNIANIS, Anno 1615.

ANNO DOMINI 1712
MAY 25
D. DIST. 10. X. VI.

ARGUMENTIS

PHOTINIANORUM

CHRISTI REDEM-

PTORUM MENTIS & INISTITIONEM IN-

PRINCEPS

In hunc modum

PHOTINIANORUM

CHRISTI REDEM-

PTORUM MENTIS & INISTITIONEM IN-

PRINCEPS

In hunc modum

PHOTINIANORUM

CHRISTI REDEM-

PTORUM MENTIS & INISTITIONEM IN-

PRINCEPS

ΑΝΘΡΩΠΟΛΟΓΙΑΣ

SACRAE,

DISPUTATIO XXVI.

De

ARGUMENTIS PHO-
TINIANORUM MERITO-
Christi oppositis.

THESIS I.



Osteaquam præcedenti disputatione
veram ac orthodoxam de merito Christi
sententiam multis scripturæ dictis confir-
matam dedimus, necessarium porro est, ut
præcipuas adversariorum objectiones di-
luamus. Prolixè illas recensuit *Socinus* in
lib. de Servat. magis autem succinctè *Oste-
rodus* in instit. c. 36. 37. & part. 3. disputatione
nis Germ. Tradelio opposita. Itemque *Smalzius* in Catech. c. 8. &
Gittichius, in Epistolis ad Ludovicum Lucium datis & Basileæ an-
no 1613. impressis. Ex his igitur authoribus argumenta præcipua
excerpemus, & quid responderi possit ac debeat paucis, Deo nos
clementer adjuvante, considerabimus.

ARGUMENTUM I.

A nomine satisfactionis, quod illud non extet
in Scripturis.

II. Quæcumq; doctrina verbis inusitatis & in Scriptura planè non extantibus
proponitur, illa merito suspecta esse debet.

Sed talis est doctrina de satisfactione Christi, quia vocabulum illud nullibi extat
in Scripturis, quod valde urget *Osterodus* libro prædicto
pag. 208.

Ergò doctrina hæc merito suspecta esse debet.

A 2

III. 10.

III. Respondemus. I. *Per instantiam*. Si omnes phrasēs & terminos, quibus articuli fidei explicantur in Scripturis, κατὰ ῥητὸν ex-
rare oportet, cadent etiam multi articuli religionis Photinianæ. Exempli loco aliquot annotabo. 1. Retinent illi distinctionem
inter libros *Canonicos & Apocryphos* 2. adhibent terminos *Liberi ar-*
bitrij, des frenen *Willens*. 3. utuntur voce *Sacramenti & Cœne Domi-*
nica, ut alia quamplurima silentio involvam. Jam ex Scripturis
hos mihi terminos ostendant; Ubi aliquid scriptum est de libris
Canonicis, de libero arbitrio, aut Sacramentis? Aut igitur om-
nis ipsorum doctrina de allegatis articulis suspecta, aut nulla in
hoc argumento primo consequentia est.

Non omnes
phrasēs quo-
ad literam
reperiuntur
in Scriptu-
ra.

IV. 2. Urgemus *exemplum Patrum*, qui in disputatione cum ad-
versariis peculiare terminos assumerunt *partim* explanationis,
partim distinctionis, *partim* melioris refutationis gratiâ. Nam ea
est hæreticorum perversitas, ut phrasēs Scripturæ retineant & al-
legant, sed alieno sensu, ut nostrâ linguâ loquantur, sed sub alio
intellectu. Quare omninò necessarium est, ut adhibeantur tales
phrasēs, quibus mens nostra perspicuè exponatur, sub quibus hæ-
reticorum non ita latere, sed faciliùs refutari queant. Observatum
hoc est in certamine cum Nestorianis & Euty-chianis. Contra
illos conclusum fuit, ἐνωσιν ἰσοσυγκλήω ἀδιαλύτως ἀδιακρίτως, καὶ
ἀδιασάτως: contra hos ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιότως.
Ubi verò hi termini in Scripturis inveniuntur? nec tamen res ip-
sa negari debet.

V. 3. Fluxit hinc illa distinctio, quòd in Scripturis *quædam* &
sint & dicantur: *quædam* verò sint, sed non dicantur. Hoc vul-
gò ita efferimus: In sacris literis aliquid habetur *vel explicitè* ἀνε-
λεξεί κατὰ τὸ ῥητὸν & secundum literam; *vel implicitè* κατὰ τὴν
ἡγενοίαν & secundum rem vel sensum. Quod neutro modo in
Scripturis extat, meritò suspectum imò falsum censerì debet.
Quod autem non habetur quoad literam, & tamen invenitur
quoad sensum, falsitatis non est arguendum. Ita verò compa-
ratum est cum doctrina nostra de satisfactione CHRISTI, quæ
vox, quamvis non legatur in sacro Codice, res tamen ipsa & phra-
sēs æquipollentes continentur. Sufficit proinde, quòd sensus
habeatur literarum apices non curamus, aliàs de articulis supra
alle-

allegatis, quos Photiniani agnoscunt ipsi, similiter malè suspicari liceret. Quo pacto propria vineta caderent. Quare notent regulam hanc multis exemplis confirmatam: A negatione Ἐπιμαρῶ seu ἰντῶ, ad negationem Ἐπαγαρῶ vel ipsius rei non licet argumentari.

VI. 4. Si maximè satisfactionis vocabulum legeretur, adversarij tamen à præconceptâ opinione suâ vix discederent, sed proculdubio & illud glossemate quodam eluderent. Hoc enim stratagemate utuntur, ut omnia reddant dubia & suis glossis involvant. Quod diabolicum studium pervertendi si afferatur, nullam tam clara possunt proponi verba, quin Satanas per ministros suos illa depravet. Atque hoc ipsum jure optimo suspectam nobis reddit omnem doctrinam Photinianorum, quòd linguam Spiritus Sancti & fidem Apostolicam sic corrumpunt, ut si ipsorum glossæ obtinere debeant, nullus vel detur vel dari fortè queat terminus, qui non pari modo depravari queat, ut illi similes Scripturæ phrasas pervertunt. Urgent imprimis *Satisfactionis terminum*, quòd non reperiatur. Ast assumum ego ipsorum hypotheses, & ex iis pariter contra te disputabo, si maximè hæc ipsa verba in Scripturis legantur: *CHRISTVS IESVS* patiendo *satisfecit pro nobis Deo Patri*. Nam sit ita, & concedam, hæc verba extare in sacro Codice, nondum tamen probatam esse *CHRISTI* satisfactionem ad modum disputandi Photinianum regero. Sic enim juxta ipsorum sophisticaciones excipio: *Vocabulum satisfaciendi est ambiguum*, quia non semper denotat interveniens & æquivalens pro culpa aut pœna pretium, sed 1. In genere *voluntatis impletionem aut præcepti observationem*: Jam verò voluntas Dei fuit, ut Christus pateretur & moreretur, siquidem ipsum ad hoc in mundum miserat: Rectè igitur dicitur satisfecisse patiendo, quoniam ita factum est, quod *DEUS* fieri voluit. Exempla hæc allego; 2. Samuel. 19. v. 7. dicit Joabus ad Davidem: *Satisfac servis tuis*: In Hebræo est: *Loquere ad cor servorum tuorum*. Luther. Rede mit deinen Knechten freundlich. Hic ergò satisfacere idem est, quod placentia loqui & agere, sic Marc. 15. v. 15. Pilatus volens populo *satisfacere* hoc est, voluntatem ipsorum adimplere. In Græco est τὸ ἰκανῶν ποιῆσαι. Luth. Pilatus gedachte dem Volck gnug zu thun. 2. Satisfacere

Si maximè terminus satisfactionis legeretur in scriptura Photiniani tamen illum eluderent.

Satisfactio quid nolet.

facere nonnunquam notat rationem reddere aut defendere. Ita sumitur Lev. 10. v. 20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem: Luth. Da das Moses hörte / ließ ers ihm gefallen. In Hebræo est, טוב וְ bonum fuit in oculis eius. Act. 24. v. 10. Bano animo pro me satisfaciam. In Græco, εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτῶν ἀπολογῆμαι. Luth. Ich wil verschrocken mich verantworten. Et 1. Pet. 3. v. 15. Parati semper ad satisfactionem omni petenti. In Græco πρὸς ἀπολογία πάντι τῶν αἰτησῶν. Lutherus: Bereit zur Verantwortung gegen jederman: Exemplum aliud habemus Act. 17. v. 9. ubi de populo Thessalonicensi dicitur, quod satisfactionem acceperint ab Iasone, ἀδελφόντες τὸ Ἰεανόν, Luth. reddidit, Da sie Verantwortung von Jason empfangen. Potest igitur & hoc sensu dici, quod Christus satisfecerit Deo, nimirum nos defendendo, intercedendo pro nobis, & accusationes Diaboli repellendo. Sicut enim Paulus pro se satisfecit, quando crimen amolitus est: Sic Christus pro nobis satisfacit, cum Satanam repellit, & nos apud Patrem excusat. 3. Tandem & illud vocatur satisfactio, cum aliquis affligitur, aut verberibus excipitur. Sic Patres imposuerant peccatori post poenitentiam satisfactiones, id est, poenas aliquas, quibus Ecclesiæ satisfecit, quam scandalizavit. Quoniam igitur mors CHRISTI gravissima fuit afflictio, à DEO Patre imposita, rectè sub generali sensu satisfactio appellari poterit. Jam probes ex contextu & Scripturis, quod vox satisfactionis notet pretium solutivum & non potius 1. impletionem voluntatis, aut 2. nostram defensionem, aut denique 3. in genere afflictionem. Quod spectat verba pro nobis, aut nostris peccatis, similiter excipio, ut illi, tantum natate commodum & utilitatem, ac si diceretur, nostri causâ, ut nobis dimittantur peccata, sed sine λύτρω. Imò si maxime diceretur, Nostri locum Christum satisfecisse, posset tamen excipi, idem esse ac nostri causâ. Imò & propriè nostri loco satisfacit, id est, respondet, cum à Diabolo accusamur. Vides igitur, pari ratione ex hypothésibus & glossis Photiniani eludi posse, si maxime apertissimum de satisfactione dictum haberetur.

Δύο πορίσματα.

VII. Ex his autem duo deduco πορίσματα. 1. Quod merus lusus fucusque sit, quando Photiniani prætendunt, se lubenter ad nostras partes concessuros esse, si modò satisfactionis vox legeretur

geretur, & clarum de illa testimonium haberetur. Nam quàm diu suum glossandi studium & præconceptam opinionem retinent, tam diu apertissima etiam Scripturæ dicta eludent: & nil tam luculentum erit ad quod humana ratio excipere non queat, si omnes animi cogitationes eò dirigantur. 2. Quòd à litera non recedendum sit, ob quodvis argutè excogitatum glossema: Quid clarius dici potest, quàm istud: CHRISTUS moriendo pro nobis satisfacit Patri? Nihilominus corrumpi & in dubium potest vocari, juxta modum disputandi Photinianum. Et sanè admiranda est Diaboli astutia in pervertendo Christi merito. Si enim thetice proponi debeat sine *ἀντιθέσει* & glossarum remotione, non potest ullus ferè terminus affirmativus dari, ad illud exprimendum, qui non per sophisticaciones Photinianas depravari queat. Sive enim dicas satisfacisse, sive *λύτρον* persolvuisse, sive pro peccatis, sive pro nobis mortuum esse, mox in promptu habent, quod excipiant. Ita nimirum contingit, quum à clara litera receditur, ut omnis certitudo tollatur, & humana tantum glossemata audiantur. Quare hæresin istam verè pestilentem & ultimum Satanæ conatum esse concludo. Nos autem inde discamus, eò fortius adherere verbis Dei, ne quavis interpretatione circumferamur, sed literalem sensum constanter tueamur: Aliàs semper discemus, nunquam ad certitudinem pervenientes, unde tandem sequetur Atheismus & Epicurea securitas. Hoc enim mihi persuasissimum est, aut Photinianismum cum suis glossis deserendum esse, aut brevi ad Atheismum deflectetur. Quando enim omnia dicta, etiam clarissima, humanis glossis obnubilantur, tum concidit Scripturæ autoritas, unà cum fide illi superstructa; unde quid aliud oriri potest, quàm barbaries & Epicureismus?

*Photiniani-
smus gignit
Atheismum.*

II X. Verum excipiunt, 1. Omnes doctrinas, quæ salutem nostram concernunt, ad literam in verbo Dei scriptas contineri.

*Exceptio
Photiniana.*

R. Per literam vel intelliguntur verba propria, quæ pariunt literalem sensum; vel omnes termini in quodam articulo usitati: prius. Concedimus, & hoc ipsum de CHRISTI satisfactione affirmamus, quippè, quæ verbis maximè propriis & significantibus, ideoque

ideoque ad literam descripta est. Sin *posterius*, negatum imus, nec probari potest. Quot enim phrasēs & loquendi formulas, in Scriptura non extantes, assumserunt orthodoxi Patres declarationis ergò, & propter malitiam adversariorum? Nec dico ab hoc ipsis scripta fuit, nisi ab hæreticis, Et si præter literam, hoc est, præter verba Scripturæ nulli sunt assumendi termini, cur libros Canonicos vocant, cur librum arbitrium, cur Sacramentum & similes voces retinent? Imò, ubi hæc habetur litera; *Christum esse Servatorem annuncians & confirmando*, ut Socinus loquitur; *ejus redemptionem esse metaphoricam, factam pro nobis, id est, nostri causâ*? Si hæc ipsorum expositio est articuli litera, ubinam quæso ea in Scripturis consignata reperitur? Nimirum sibi licere putant, sine omnino novitatis aut falsitatis suspicione, peculiaribus verbis & phrasibus hæresin suam explicare: Nos, cum idem facimus, & satisfactionis terminum adhibemus, mox accusant, nostramque doctrinam suspectam esse clamitant, quia verbis in Scripturis nullibi usurpatis declaretur. *Hypocrita ejice primum trabem ex oculo tuo*, Matth. 7, v. 5. Et sanè si tantum Scripturæ phrasēs adhibendæ essent, in exponendis fidei articulis, sequeretur mera confusio & mixtura religionum. Ratio est illa, quoniam & hæretici Scripturam admittunt, & ejus verba retinent, sed sub alio sensu. Qui si tantum in corde foveri, nec terminis significantibus exprimi debeat, quomodo falsum à vero discernetur? Exempli gratiâ, *Christum esse mundi Redemptorem & Servatorem nostrumq; mediatorem, pro nobis mortuum dedisse λύτρον*, fatentur nobiscum Photiniani, omnesq; Scripturæ locutiones admittunt. Si ergò hic articulus nullis aliis præter enumeratas vocibus efferri debeat, quibus nostra Photinianorum interpretatio declaretur, quæ erit religionis distinctio, unde dignosces Photinianum & Lutheranum? Uterque enim eadem verba usurpat, sensum verò, qui diversus est, occultat, neque significantibus phrasibus describit aut circumloquitur. Proinde ista Photinianorum exceptio geminum vitium prodit. 1. *Iniquitatem*, dum sibi rapiunt jus peculiare phrasēs adhibendi, nostris verò idem concedere nolunt: 2. *Malitiam*, dum tale quid urgent ex quo hæresin permixtio & religionum confusio sequeretur, ut

nemo

nemo scire posset, quis huic vel illi Sectæ addictus sit, siquidem omnes sub Scripturæ phrasibus latibulum quærunt.

I X. Excipiunt **II.** quòd *phrases Satisfactioni equipollentes non extent, in Scripturis*: quia nullibi dicatur **1.** quòd *Christus sua morte DEVM placaverit.* **2.** vel omnem pœnam justitiæ Dei persolverit. **3.** aut sanguinem suum tanquam solutionem effuderit. **4.** aut nostram inobedientiam suâ obedientiâ compensaverit, vel **5.** quòd hoc meritus sit, ut **DEVS** peccata condonet, vel **6.** quòd iram **DEI** pro nobis placaverit. *Alia: exceptio.*

Resp. 1. Si maximè hæc omnia legerentur, non minus tamen eludi possent glossis istis, quas ad alia dicta reponunt, si hæc aliquid valerent: Nam **Christus DEUM** placavit *metaphoricè*, quatenus voluntati ejus satisfecit & passio illum usum habuit, ut nobis ex gratiâ dimittantur peccata. Sicut enim nos reconciliâsse, ita Deum placâsse dicitur. Pœnam persolvit, eo sensu, quo *ἀντίλυτρον* dedisse refert **Apostolus 1. Tim. 2. v. 6.** Sic & reliqua per metaphoras & alias figuras eludi facilè possunt. Quare fateantur, aut glossas suas vanas esse, aut nullam phrasin dari posse, à corruptela rationis immunem, posterius cum absurdum & impium sit; prius esse agnoscendum, sequitur. **2.** Præscribam & ipsis quasdam equipollentes phrasas, vel ipsorum doctrinæ, correspondentes; & urgebo; ut literam ex Scripturis demonstrent, ut quòd *Christus sit Salvator, quia in ejus concionibus salutis ratio ostenditur, vel quia suo exemplo salutis motum docuit, vel quia non satisfaciendo sed predicando nos redemit:* Hæc omnia sunt phrasas equipollentes, quibus mentem suam exprimunt, aut certè exprimere possunt. Ubinam verò extant aut leguntur? Nullibi, & tamen ob id doctrinam suam suspectam fieri inficiantur. Nulla proinde argumento inerit consequentia. **3.** Phrasas equipollentes considerantur vel ratione verborum, vel ratione sensus. Si verba respiciunt, suum sophisma de litera repetunt, principium petunt, propria vineta cædunt, sibi ipsis opponunt. Monstrent enim in Scripturis phrasas & verba, quibus suam hæresin declarare solent. Si posterius, falsum est, quod equipollentes phrasas & huic, *Christus satisfecit,* & illis, quas ipsi recensent, in Scripturis non inveniuntur. Multas istarum disputatione proxima enumeravimus. Hic pauca suffici-

B

ant

ant Eph. 5. v. 5. *Christus dedit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis.* Hostias autem, quarum sanguis effunditur, ad satisfactionem ac peccatorum expiationem offerri testatur totus Leviticus, &c. 10. Heb. ubi dicitur, quod *victima veteres peccata auferre haud potuerint.* Christus autem venit ad voluntatem Dei faciendam, v. 7. adeoque *sanctificati sumus per oblationem corporis IESU Christi semel v. 10.* atq; sic per actum oblationis, non prædicationis, aut per alium respectum. Adde Hebr 9. v. 7. 11. & imprimis v. 22. simulq; vocabulum *λύτρωσ* Matth. 20. v. 28. *ἀντιλύτρωσ* 1. Tim. 2. v. 5. *λυτρώσεως* Luc. 1. v. 68. *ἀντιλυτρώσεως* Coloss. 1. v. 14. maledicti Galat. 3. v. 13. 14. redemptionis à lege Gal. 4. v. 4. 5. Horum & similibus dictorum vim & emphasin proximè vidimus, & æquipollentiam cum satisfactione ostendimus.

ARGUMENTUM II.

Ab impedimento bonorum operum.

X. *Si Christus pro nobis satisfecit legi divinae, nos non tenebimur mandatum ejus observare.* Nam pro quo precium semel est solutum, is non tenetur denuo solvere. Et Socinus inquit p. 105. *Ex eo, quòd quis alterius debita solvit, non sequitur eum velle nullum es alienum jam ab ipso contrahi.* Quare doctrina de satisfactione ansam præbet flagitiis vel ad minimum homines in pietate desides reddit. Vide Catech, Rac. p. 264.

XI. Respon. 1. Antiqua hæc cantilena est, ipsis Apostolis objecta, uti constat ex Rom. 6. v. 1. *Quid dicemus? Manebimus in peccato, ut gratià abundet; absit.* Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivimus in illo? ut igitur olim PseudoApostoli colligebant, (quos imitantur etiam Pontificij) *si ex solo Christi merito, gratis & sine operibus salvamur, frigebit sanctitatis studium, & abundabit peccatum pari modo nunc recentes Photiniani argumentantur; ex quo ipso nos magis confirmamur, & inde inferimus, fidem nostram Apostolicam,*
ipsorum

ipforum hæreticam esse, cùm idem in nostra doctrina damnent, quod olim in Apostolorum fide fratres falsi desiderarunt.

XII. 2. Idem Photinianis objici potest. Ut enim nos remissionem peccatorum in Christi merito: sic illi in sola misericordia DEI fundatam dicunt. Hinc igitur multò magis quis ita colliget: *Si ex sola DEI misericordia salvabor, & quidem illa abundat uti super abundat peccatum, quid opus erit rigorosâ vitâ & tam difficili peccatorum fugâ?* Hanc consequentiam ipsi negant Sociniani. Quicquid ergò pro DEI misericordia respondebunt, idem nos pro Christi merito reponemus, cùm utriusque in hoc casu par sit ratio.

XIII. 3. Distinguendum est inter id, quod fit *per se*, & id, quod fit *per accidens*, Si per se ex satisfactione Christi fluere securitas & vitæ perversitas, tùm aliquid obtineret argumentum. At verò istud minimè fit, siquidem Scriptura ipsa contrarium inde colligit Roman. 6. v. 11. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem DEO in Christo Iesu Domino nostro. Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore.* 2. Cor. 5. v. 15. *Pro omnibus mortuus est Christus, ut, qui vivunt, post hac non sibi vivant, sed, ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Gal. 5. v. 13. *Vos in libertatem vocati estis fratres, (nempè per meritum & satisfactionem Christi) tantùm ne libertatem in occasionem detis carni, sed per charitatem servite vobis invicem.* Tit. 2. v. 14. *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hebr. 9. v. 14. *Sanguis Christi, qui per Spiritum S. semetipsum obtulit immaculatum DEO emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad serviendum DEO viventi.* Vides hinc, Apostolũ non ut *ἐναντία* disjungere, sed tanquam *ἑτάλληλα* conjungere partim satisfactionem Christi, partim sanctitatis studium, adeò ut illam hujus causam constituent. Quĩ Ergò per se ex hac doctrina sequeretur impietas & negligentia in bonis operibus? Aliud ex Christi merito Apostoli, & aliud Photiniani colligunt, unde vicissim liquet, ipforum religionem non esse Apostolicam. Interim non diffitemur, per accidens malitiosos homines propriâ culpâ salutarem illam doctrinam in abusum posse convertere, & sub spe veniæ ob Christi satisfactionem, in peccatis perseverare.

Et satisfactio Christi non fluit securitas.

Quid autem hoc contra nos? Si ab eo quod fit per accidens, & malitiâ hominum, judicare vellemus, nec CHRISTI fides pro verâ censi possit. Quot enim illâ offensi, quàm variis modis abusi sunt? Ubi reperitur cœtus, in quo non tres verbi partes infrugiferae fiunt vitio hominum. *Luc. 8, 12. seqq.* Et annon ex sola gratiæ prædicatione, quam urgent Sociniani, pariter quis ansam capere potest, peccata continuandi? Quare memores sint præcepti Logici: *Ab eo quod fit per accidens, ad id, quod est per se, non licet argumentari.*

XIV. 4. Ratio consequentiæ, quam afferunt, nulli est. *Dicunt enim: Pro quo solutum est precium, is non tenetur denuò solvere.* Fatemur: Et ne quidem solvere possumus, quoniam obedientia nostra nimis est imperfecta. Solus proinde CHRISTUS legem planè servavit, & hoc nobis imputatur ad justitiâ. Interim non sequitur, liberam planè, nec necessariam esse obedientiam & vitæ sanctitatem. Licet enim DEO per illam nec satisfaciamus, nec satisfacere debeamus, aut valeamus; aliæ tamen causæ sunt, quæ studium istud à nobis exigunt. Remotio falsarum causarum, non tollit veras & legitimas. Filius licet beneagendo non mereatur patrimonium, debet tamen obedientiam parentibus & reverentiam. Sic DEUS requirit à nobis bona opera, non ut satisfaciamus, sed ut iis debitam gratitudinem declarem.

Christi meritum multis modis instigat nos ad bona opera.

XV. Et sanè varia sunt pietatis incentiva. Sed ut alia taceam, ipsa CHRISTI satisfactio multos ad bene agendum stimulos addit. 1. *A fine mortis Dominicæ.* Duplex hic est: *Alter principalis*, ut moriendo pro nobis satisfaceret. *Alter subordinatus*, ut sibi populum sanctificaret, sectatorem bonorum operum. Nisi ergò Christum velis frustrâ mortuum esse, & altero fine frustrari, opus erit, ut sanctitati studeas. Non enim mortuus est pro te, ut in peccatis pergas, sed ut illis potius nuncium mittas? Redemit te à peccatis. E. non amplius servias peccato. Unde porrò elucescit, Socini simile falsum esse. Omnino enim is, qui alterius debita solvit seriò vult si aliàs sincerus est amicus, ut nullû deinceps æs alienum contrahat. Sic etiâ Christi liberatoris nostri voluntas est, ut quoniam semel pro nobis satisfecit, ne novum debitum contrahamus, & denuò culpæ rei reddamur, per grassa & voluntaria peccata.

2. *A jure*

2. *A jure redemptionis.* A quocunque redimimur, illi redemptionis jure ad serviendum & obsequendum obstricti sumus. Atqui a Christo sumus redempti. E. simul obstricti sumus ad obsequia & servitia. Tangit hanc rationem Zacharias Luc. i. v. 74. *Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi in sanctitate & justitiâ coram ipso, omnibus diebus vite nostrae.* Declarari hoc potest exemplo redemptionis corporalis. Qui enim alios ex captivitate liberat, sibi certè ad serviendum obstrictos habet, nec illi ansam inde capere possunt, liberatorem suum convitiis proscindendi, aut illum persequendi. Ad contrarium enim jure obligati sunt.

3. *A Beneficio gratuita remissionis.* Ob Christi meritum gratis condonantur nobis peccata, sine satisfactione propria. E. æquum & necessarium est, ut vicissim grati simus, Christum eò ardentius diligamus, nec peccatis iterum lædamus. Quò enim plura beneficia accipiuntur, eò major gratitudo debetur. Ita David colligit Ps. 130, v. 4. *Copiosa est apud te remissio, ut timearis.* Et Christus ipse Luc. 7, v. 42. *Remittuntur ei peccata multa, hinc dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.*

4. *A gravitate poenarum.* Christo carè constitit debitorum nostrorum solutio. Varias plagas & ignominiosissimam mortem sustinuit. Quare non amplius pecces, ne poenas illas cumules & Christum denuò affligas. Voluntariè enim peccare post *λύτρον* præstitum est Filium Dei conculcare, & sanguinem testamenti pollutum ducere, Heb. 10. v. 29.

XVI. *Ab ira divine immensitate.* Speculum istius fuit passio Christi, licet innocentissimi. Iram enim Dei cum sentiret in horto, sanguineas etiam guttas emisit. Et tanta fuit Patris indignatio, ut nullâ re aliâ, quàm morte Filij unigeniti placari potuerit. Ergo, ne non reverebimur hanc iram? Num audebimus eam denuò peccatis voluntariis accendere? Licet enim satisfactum sit, tamen, nisi pro satisfactione grati simus, & piè vivemus, duplicatur ira Domini.

XVII. Atque sic videmus, doctrinâ de satisfactione non labefactari sanctitatis studium, sed illâ nullum ferè efficacius *ὁμολογησιον* nullos acriores ad pietatem stimulos reperiri. Quare

*Causa, cur
piè sit viven-
dum.*

nequaquam pugnant *Christi meritum, & sanctitatis stadium*: Ponunt se non tollunt. Mortuus est CHRISTUS, ut nos piè viveremus. Hinc autem non sequitur, non esse mortuum, ut satisfaceret aut contrà. Uterque finis in Scriptura exprimitur, ideoque alter alteri, non debet opponi. Manet mors CHRISTI medicina spiritualium morborum, *tum alexicaca*, per quam peccata nostra curantur & auferuntur, *tum Propylactica*, per quam futura peccata præcaventur & impediuntur. Proinde calumnia est, cum per CHRISTI satisfactionem bonorum operum studium enervari Photiniani clamitant. Sciunt enim, quòd utrumque conjungamus & serio ad pietatem auditores nostros hortemur. 1. *Propter Deum*, qui mandavit & cui gratitudo declaranda est. 2. *Propter Christum*, qui redemit, ut hætenus dictum. 3. *Propter Angelos*, qui gaudent probitate, repelluntur impietate. 4. *Propter proximum*, nè scandalizetur, sed nostro exemplo ad bona opera invitetur. 5. *Propter nos ipsos*, ut fidem ostendamus, exerceamus, pœnas vitemus, præmia impetremus. 6. *Propter Diabolos*, ne in ipsius calles incidemus; Hæc omnia in Scripturis unà cum doctrinâ de satisfactione proponuntur, & ex Scripturis sæpè repetuntur, ut ita *partim* nobis injuria fiat ab adversariis, *partim* per iusignem sophisticationem opponantur & divellantur ea, quæ tamen subordinata sunt & conjunctissima.

Christi satisfactio fide apprehensa causa est bonorum operum.

XIIX. Addimus, quòd inter Christi satisfactionem apprehensam, & vitæ sanctimoniam non tantum sit *connexio moralis*, quatenus homines per unum admoneri & excitari possunt ad alterum, sed etiam, ut sic loquar, *causalis*, quatenus uno posito, necessario ob cohesionem, ponitur & producit alterum. Nam ubi Christi satisfactio apprehenditur, ibi. 1. Spiritus Sanctus in corde habitat. 2. Fides justificans adest. Utrumque est causa efficiens bonorum operum, & iis positis non potest non simul poni sanctitatis studium, non secus atq; causâ in actu positâ & non impeditâ necessario sequitur effectus. Nam de Spiritu Sancto scriptum est, quòd carnem compescat, ne luxuriet, variosque fructus bonorum operum in corde pio generet. Sic enim dicitur Galat. 5. v. 22. *Fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, Castitas.* Nec diffiten-

LUL

tur hoc Photiniani, cum Spiritum sanctum nihil velint esse aliud, quam donum singulare variarum virtutum. Ubique igitur est Spiritus Sanctus ibi flagitia locum non inveniunt, siquidem animam immundam non ingreditur *Sapient. 1. v. 4.* At verò in quovis fidei, satisfactionem Christi apprehendente, Spiritus Sanctus habitat, quippe à quo illa fides proficiscitur. Ergo quamdiu fidelis manet, flagitia non inveniunt locum, adeoque impossibile est ut quis verè credat & impiè vivat. Ut autem sanctitas est fructus Spiritus, ita & consequens fidei, quoniam hæc per charitatem semper efficax, *Galat. 5. vers. 6.* Quare ut radij solares semper illuminant aërem, ita fides viva semper excitat pietatis ardorem. Sunc hæc duo momenta Christianismi, *Fides & Charitas*, quorum unum perpetuò includit & secum trahit alterum, non secus, ac è formis rerum nunquam non ebulliunt affectiones propriæ.

ARGUMENTUM III.

Ab indiscretâ Omnium salvatione?

XIX. Si CHRISTUS pro omnibus satisfecit, omnes, etiam manifestè impij salvabuntur. Nam pro quibus solutum est λόγρον illi injustè aeternæ damnationis carcere mancipantur.

XX. Respond. 1. Argumentum hoc directè Scripturis est oppositum. In iis enim utrumque dicitur, tum Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, 1. Iohan. 2. vers. 2. tum multos perire, etiam eos, pro quibus Christus est mortuus & satisfecit, 2. Petr. 2. vers. 1. Hebræor. 6. vers. 4. 5. 6. Cap. 10. vers. 26. Rom. 14. vers. 16. 1. Corinth. 8. vers. 11. Quare nisi ἀνολογίας manifestas in Dei verbo concedere velimus, consequentiam in argumento nullam esse, fatendum est.

XXI. 2.

Distingui
debet inter
salutis ac-
quisitionem
& applica-
tionem.

Similitudi-
nes quibus
declaratur
distinctio
inter salutis
acquisitio-
nem & ap-
plicatio-
nem.

XXI. 2. Distinguiamus inter beneficij *acquisitionem* & *acquisiti applicationem*. Illa generalis est, quoniam Christus morte suâ totius mundi salutem promeruit. *Hæc* verò specialis est, quoniam soli Credentes & Evangelium verâ fide recipientes beneficij illius fiunt participes. Qui autem more Judæorum pertinacium, verbum, fidei organon repellunt, Sacramenta & Consilia Dei de salute suâ cum Pharisæis spernunt, illi propriâ culpâ privantur beneficiis, Christi morte acquisitis. Innuunt hoc Apost. 2. Cor. 5. v. 18. *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*, & mox tamen additur v. 20. *Reconciliemini Deo*. Videtur hic esse *ἀντίφασις*, sed conciliatio est facilis, si dicatur *prius membrum* de acquisitione, *posterius* de applicatione agere; *Facta* est reconciliatio per Christum, quoad adaptionem; *facienda* est per pœnitentiam & fidem, quoad apprehensionem.

XXII. 3. Declarari hæc omnia possunt quibusdam similitudinibus. 1. *A liberatione & captivitate Babylonica*. Rex Cyrus publicis edictis omnibus Judæis reversionem in patriam concessit *Esdra 1. v. 3. 4. 2. Paral. 38. v. 22.* multi tamen manserunt sub servitute, non ob defectum libertatis partæ, sed propriâ voluntate, quoniam regium beneficium acceptare noluerunt, sed bona Babylonis præ terrâ Canaan dilexerunt. Sic Christus morte sua liberationem peperit universis; Sed non singuli hoc donum accipiunt, verum magis bona terræ, quàm cœli & verbi divini diligunt. 2. *Ab annis iubilæis*. His exortis, poterant omnes servi in Vet. Test. possessiones suas reperere, quoniam vi mandati, *Levit 25, v. 40.* omnibus libertas illa fuit actu acquisita. Et nihilominus multi manserunt sub perpetuis servitiis, ob propriam negligentiam & neglectum privilegiorum. Pari modo comparatum est cum liberatione spiritali, quæ omnibus quidem acquisita, At non omnibus accepta est. 3. *A Liberalitate Principis*. Si quis Imperatori Turcico pro redemptione quorundam captivorum certam pecuniæ summam numeret, libertas ipsis sufficienter hoc pacto acquiritur. Sed ponamus, nonnullos in Turcîa manere, captivos, nec actu liberari. Quid verò causæ? Non defectus *λύτρεσ* quippe quod perfectè solutum, non minus pro ipsis quàm pro aliis qui liberati sunt; sed

tan

tantum propria voluntas, quoniam contemserunt beneficium Principis, & captivitatem præ libertate elegerunt. Sic omnes homines in regno peccati & Satanæ detinentur captivi: pro omnibus verò CHRISTUS pretiosum suum sanguinem dedit ἀντίλυτρον. Si verò hoc non accipiant quidam ex malitia propria: nihil hoc ipsum merito aut universalitati ejus derogat. Ita CHRISTUS docuit, *Iohan. 3. v. 19.* reddens causam, cur non omnes salventur, cum tamen ipse tanquam lux cœlica ad omnes illuminandum venerit. *Hoc est, inquit, iudicium, Lux venit in mundum, sed dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Idem habetur *Iohan. 1. v. 11. & seqq. 4.* *Ab Eleemosynæ acceptatione.* Si alicui donum vel eleemosyna porrigatur, nemo fit ejus particeps, si spernat, nec manum extrudendo munus illud recipiat: Requiritur enim utrumque, & manus offerens, & manus oblata accipiens. Sic beneficia morte CHRISTI parta offeruntur in verbo omnibus, non autem conferuntur nisi credentibus. Fides enim est manus altera ex parte nostri, donum porrectum accipiens. Quò spectat istud Bernhard, *Serm. 32. super Cant. & Serm. 3. in Annunc. Tantum quisque, de hisce bonis possidet, quantum vase fiducia colligit.* 5. *A medicamento,* Si medicus aliquis ad urbem peste infectam afferat pretiosam sanitatis medicinam, tum salus omnibus hoc ipso parta est: Si qui verò medicum medicique pharmacum spernant & adhibere recusent, illi non sanantur non ob defectum remedij, sed ejus neglectum. Sic CHRISTI sanguis medicamen est pro peccatis, animæ morbis, efficacissimum: quòd verò effectus non sequitur in omnibus, fit ob ipsorum vitium & contemptum, sicut omnia parata erant in Cœna Domini, *Luc. 14.* & in nuptiis, *Matth. 22.* attamen, qui non veniebant, de ferculis Domini nihil gustabant. Conclusio igitur dicto Augustini, quod legitur 1. artic. sibi falsò impos. artic. 1. *Poculum immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostrâ & virtute divinâ, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non proficit.*

ARGUMENTUM IV.

A dilectione DEI.

C

XXIII.

XXIII. Dogma de CHRISTI satisfactione aperte ad-
versatur DEI verbo, quoniam inde sequitur, DEUM ante mor-
tem CHRISTI nos non dilexisse, id quod est contra Johan-
nem cap. 3. vers. 16. Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium
suum unigenitum daret, & contra Paulum. Romanor. 5. vers.
8. Cum adhuc peccatores essemus, CHRISTUS pro nobis mor-
tuus est.

*Dilectio Dei
duplex.*

XXIV. Respond. Non sequitur ex nostra opinione, quod se-
qui putant Photiniani, nec à quoquam orthodoxo id dictum scri-
ptumvé memini. Distinguiamus enim inter dilectionem DEI ge-
neralem & specialem. Illa concernit totum genus humanum; hæc io-
los fideles, de illa sermo est Iohan. 3. & Rom. 5. de hac Ephes. 1. v. 6.
dilexit nos in dilecto. Illa ordine præcessit mortem, meritumque
CHRISTI, quoniam ex singulari amore DEI facta est, ut Fili-
um suum mitteret ad redimendum genus humanum. Hæc autem
mortem ejusque apprehensionem sequitur. DEUS enim nemi-
nem speciali amore suo (quo in filios adoptamus, & vitæ æternæ
scribimur hæredes) prosequitur, nisi pro quo CHRISTUS satis-
fecit, & qui hoc ipsum fide sibi appropriat; si qui ergo docuerunt,
CHRISTUM morte suâ, Patris gratiam & amorem nobis impe-
trasse, intelligendum hoc erit dilectione speciali, & ipsa reconci-
liationis gratiâ. Aliàs non negamus, DEUM nos in genere dile-
xisse, antequam CHRISTUS moreretur, cum adhuc peccatores
essemus. Chemnicus quidem Tom. 2. locorum C. C. pag. 347. scri-
bit; *Extra Christum nulla gratia aut misericordia DEI erga peccatores, nec
debet nec potest rectè cogitari, nisi Lex solvatur, destruat, & intereat, quod
impossibile est.* Verùm & ipse cum primis intelligit gratiam spe-
ciali in acceptione benevolâ & peccatorum veniâ consisten-
tem.

Exceptio.

XXV. Excipiunt quidam: Si DEUS nos dilexit ante mortem
Filij, & factam reconciliationem, fuit injustus, quoniam peccato-
res, qui poenam promeruerunt, puniri, non diligi debent.

Responsio.

Sed Respond. 1. Scripturam hæc omnia conjungere, nempe
DEUM justum esse; nos dilexisse adhuc peccatores & inimicos

Rom. 5.

Rom. 5. v. 8. 10. & non nisi per Christum reconciliari. Quare non pugnant ista, sed simul consistent.

2. Aliud est affectus miserendi, aliud absolutio. Potest iudex misereri peccatoris, sed absolvere non potest sine satisfactione. Sic DEUS primùm misertus est nostri, quoniam per seductionem Satanæ in tantas calamitates incidimus: atque sic præcessit in DEO generalis misericordia. Quia tamen pœnas minatus erat, & iustitia eas postulabat, hinc lapsos homines absolvere noluit, nisi soluto prius per Christum merito. Aliud ergò est *generalis misericordia*, aliud *reconciliationis gratia*. Illa præcessit meritum, hæc secuta est intuitum meriti: Illa DEI benignitatem: hæc iustitiam commendat, quod temperamentum in redemptione nostra perpetuum & admirandum est.

Aliud est affectus miserendi, aliud absolutio.

3. Alij distinguunt inter misericordiam *simplicem* vel *internam*, & *efficacem* vel *externam*, cum ipsa actuali peccatoris absolutione & in gratiam receptione conjunctum. Potest iudex peccatoris sine iniustitia misereri, pro ratione circumstantiarum & bene illi cupere, adeoque de mediis redimendi cogitare. Interim si pœnas debitas, quas leges requirunt, quas ipse seriò indixit, & minatus est, sine omni *λύτρω* dimittat, adeoque efficaci misericordiâ comprehendat, hoc iudici iniquitatis & falsitatis notam inurit; *Iniquitatis*, quoniam leges suas ipse transilit. *Falsitatis*, quia quod dixit & minatus est, non servat.

Misericordia duplex.

XXVI. Jam ut hoc applicetur, dicimus, misericordiam DEI erga genus humanum primam, quâ de mediis cogitavit, fuisse simplicem & internam, quæ sine omni iniustitiâ locum habere potest ante satisfactionem. Quia verò mortem certissimè minatus fuerat. *Genes. 2. v. 17.* & propterea irascebatur humano generi, & lex supplicium exigebat; hinc satisfactionem filij intervenire voluit, antequam in gratiam lapsos reciperet & efficaci misericordiâ complecteretur. Si dicas, iram & amorem simul consistere non posse, ideoque DEUM, si nos dilexit, iratum nobis non fuisse, & contrà: Respond. Distinguendo inter iram *summam* & *temperatam*. Illa dilectionem excludit, hæc includit. Fuit autè ira Dei non summa, siquidem protinus aliàs damnasset homines, uti Luciferum: Sed temperata & amore mixta, non secus

Ira alia est summa alia temperata.

atque in gravissimis etiam poenis Dei quaedam amoris scintilla
emicare solet, unde Chrysostomus dixit: *DEVS gladium iusticiae oleo
misericordiae inungit.* Signum igitur irati Dei fuit, ablatio concretae
imaginis, corruptio naturae mors & poenae similes: sed signum
misericordis fuit amor ille, quo sic dilexit mundum, ut daret Fi-
lium pro peccatis nostris in mortem. Hæc illa est admirabilis
temperatura, cui simile exemplum non reperitur in orbe uni-
verso.

ARGUMENTUM V.

A misericordia Dei, quâ solâ servari
dicimur.

XXVII. *Si salvamur ob persolutionem à CHRISTO
prestitam non salvabimur gratis, & ex solâ miseri-
cordiâ, quod tamen passim in Scripturis asseritur.
Gratia enim & pretium, sive à debitore, sive ab alio
solutum, semper pugnant. Turcicus Imperator non
dicitur gratis dimisisse captivum, si ab alio λύτρον est
persolutum; & sequeretur, salvationem esse gratui-
tam ex parte CHRISTI, non ex parte DEI PATRIS,
quippe, cui sufficiens pretium est exhibitum. Urget
hoc argumentum Cateches. Rackov. pag. 262. Osto-
rodus pag. 211. & Gittichius pag. 90, qui aperte scri-
bit: nos pro Patre Clementissimo DEUM Optimum
Maximum Caracallam aut Neronem aliquem tru-
culentissimum efficere.*

XXIX. Resp. i. Ratiuncula hæc vicissim directè opponitur
clarissimo DEI verbo. Hoc enim passim conjungit, quæ Photi-
niani disjungunt; subordinata esse docet, quæ illi pro repugnan-
tibus habent. Nam utrumq; asseritur, tum Christum semetipsum
dedisse

dedisse pretium redemptionis pro omnibus *1. Tim. 5. vers. 6.* tum nos gratis ex solâ gratiâ salvari, *Rom. 3. v. 4.* Proinde, cum in Scripturâ verbis nulla sit falsitas, verum erit utrumque, sine omni *ἀντιφάσις* vel contradictione.

XXIX. 2. Meritum CHRISTI non opponimus misericordiæ Dei, sed justitiæ, quæ sola illud exigebat. Sicut autem justitia non tollit misericordiam, ita nec meritum, quo justitiæ satisfactum, eandem excludit: Nam quadruplici respectu alio dicimur gratis, & ex sola misericordia salvari. *1. Respectu decretæ satisfactoris;* Quòd enim Deus consilium suscepit de nostra liberatione, quòd medium invenit de missione filij, adeoque ipse salutem & salutis organa procuravit, sine omni nostro vel meritum vel emptionis pretio, imò & nobis ignorantibus; hoc utique magnum dilectionis argumentum est, ut dicitur *Johan. 3. v. 16.* Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Rom. 5. v. 8.* Commendat DEUS charitatem suam, quòd Christus pro nobis mortuus, cum adhuc peccatores & inimici essemus, *1. Johan. 4. v. 9.* In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit DEUS in mundum, ut vivamus per eum. Et *v. 10.* In hoc est charitas, non quòd nos dileximus DEUM, sed quoniam ipse (prior) dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.

Quatuor respectus, ob quos gratis salvari dicimur.

2. *Respectu gratuita acceptationis.* Si pro rigore justitiæ nobiscum agere voluisset DEUS, repudiare potuisset alienam satisfactionem, sicut innuitur *Ezech. 18. v. 20.* Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Ut si alius pro alio filius pro patre vel contrâ, mori vellet, in Tyrannide aut persecutione, vel victoriâ, tum victor hanc conditionem non statim accipit, sed clementiæ est, si consentiat: Quoniam ergò Deus suscepit alienum meritum, & illud nobis imputavit, proque nostro habuit, hoc ipso misericordiam suam luculenter declaravit.

3. *Respectu exclusæ justitiæ legalis.* Hoc illud principale est oppositum, quod Apostolus Paulus semper urget: Gratiam enim & opera perpetuò opponit, *Si ex gratiâ, jam non ex operibus, & contrâ.* *Roman. 11. v. 6.* Quicumque igitur sine operibus propriis salvantur, hi gratis ex solâ misericordiâ salvantur, secundum perpetuam illationem Apostoli. At verò, qui per fidem in CHRISTI

meritum salvantur, illi sine suis operibus salvantur, Ergo manet firmum ratumque quod gratis & ex sola misericordia salvi fiant omnes credentes, licet non sine CHRISTI merito salvantur. Illæ enim particulæ, *gratis, ex gratiâ*, nunquam opponuntur merito & satisfactioni CHRISTI, sed tantum legi & nostris operibus. Doctrinam igitur Apostolicam pervertunt, qui à positione gratiæ ad exclusionem meriti argumentantur, Cùm omnis gratia in merito fundetur, & salus non nisi per Christum tanquam causam non tanquam causæ præconem tantum contingat.

4. *Respectu gratiæ imputationis & infuse fidei.* DEUS enim non modò Filium ex gratiâ misit, ejusque meritum acceptavit, sed illud etiam ipsum ex gratiâ imputatur, & fidem sine nobis, in nobis generat, id quod maximæ misericordiæ & benignitatis argumentum est, de quo Psalms: *1a canit, Psal. 32. v. 1. & Apost. Rom. 4. v. 9.* Hunc respectum Photiniani tollunt per sua principia, quia fidem non DEI donum speciale esse statuunt, sed ex libero arbitrio proficisci cum Pelagianis autumant,

Photiniani
misericordiam
Dei enervant.

XXX. 3. Photiniani dum misericordiam DEI defendere volunt, prorsus illam tollunt & abnegant. In operibus enim spem collocant, & non nisi per opera salutem dari contendunt, & quidem ex merito, ut Ostorodus docet in instit. pag. 261. Jam verò quid salutis gratiæ, & Dei misericordiæ magis est contrarium, quàm meritum operum? Annón perpetua apud Apostolum est oppositio inter gratiam & meritum, fidem & opera, Evangelium & Legem? Quid clarius his verbis Rom. 4. vers. 4. *Ei qui operatur merces, non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* Et Rom. 11, v. 6. *Si ex operibus, jam non ex gratia.* Stat ergo firmum: *Qui opera salutis causam constituit; Dei gratiam & misericordiam tollit.* Antecedens Photiniani assumunt, ideoque consequens à se nullâ ratione amoliri queunt. Et sanè miranda est hîc Satanæ impudentia, quòd hominibus persuadere conatur, meritum Christi sanctissimum pugnare, sed opellas & merita hominum non pugnare cum DEI misericordia. Cùm Apostolus rem planè invertat, & contrarium

trarium ubiq; defendat, sanguinem Christi includendo, & opera quævis ex actu salvationis excludendo.

X X X I. 4. Similitudo de Imperatore Turcico aliena est, nec quadrat. Quod ut intelligatur sciendum, quòd duplex sit persolutio λύτης ut est captivitas; Quidam enim in carcere tenentur per vim ab hoste, sine sua culpa, quæ captivitas hostilis vocari potest: Quidam tenentur per jus à iudice ob peccata præcedentia, & hanc captivitatem judicalem nuncupamus: Qui ab hoste tenentur, non dimittuntur gratis, si pro iis solvatur pretium; Nam in totum satisfacit Tyranno, quantum exigit, ideoque nihil gratiæ ibi concurrit. Qui autem vigore legum captivi tenentur à iudice ob sua delicta, gravem pœnam promerentia, illis exhibetur utique magna gratia, si iudex alienam satisfactionem recipiat. Sic enim remittit de rigore, si quidem partem pœnæ imponit delinquenti ipsi, partem verò alij intercedenti: Cùm tamen strictum jus postulet, ut totam pœnam subeat is, qui solus peccavit. Exempli gratiâ: Sit Lex lata de effodiendo utroque oculo, qui commiserit adulterium; Jam si alius pro adultero intercedat, & oculum illius loco amittere velit, tunc quidem satisfacit Legi, sed tamen non sine Judicis gratia, dum pœnam partitur inter delinquentem & ejus amicum: Ut igitur hæc applicemus, captivi nos omnes sumus, sed non absque propria culpa; verùm ob peccata nostra. Pro his licet CHRISTUS satisfecerit, tamen misericordiæ indicium est, quod DEUS iudex alienum λύτην acceptaverit. Imò & alia sunt dissimilitudinis membra, quæ omnia hoc pacto copulamur. 1. Imperator Turcicus hostis est, qui pecuniæ inhiat; DEUS iudex, qui suæ satisfactum vult justitiæ. 2. Capti à Turca carent culpa: sed nos in culpa sumus, & Deo iudici pœnas debemus, quæ non sunt nuda & communia debita, ex sola creditoris voluntate pendentia, sed ad naturalem & immutabilem Dei justitiam in lege declaratam respectum habent. 3. A Turca capti tenentur per vim: nos in captivitate hæremus per maledictionem legis & secundum tenorem justitiæ. 4. Turca postulat tantum pecuniâ: DEUS minatur pœnas ipsis delinquentibus, quas si remittit, alienam satisfactionem accipiendo, gratiam suam hoc ipso luculentam facit.

*Deus malè
comparatur
tyranno
Turcico.*

5. Turc

5. Turca confilium de alienâ perfolutione non inuit, nec ex eo gratiâ satisfactorem excitat: Deus autem de redimendo genere humano consultavit, & ex merâ dilectione filium misit in mundum, ideoque gratiâ hîc concurrat, quamvis ibi locum non inveniat. Ex quibus omnibus manifestum evadit, malè in hoc casu comparari dimissionem Turcicam & justificationem nostram.

XXXII. 5. Si ab hominibus ad DEUM, ab humana ad divinam condonationem argumentari velimus, tum sequetur, DEUM absque omni pœnitentiâ & fide, pro nuda sua voluntate ut alius quispiam creditor secularis, peccata posse remittere, quod tamen toti Scripturæ est contrarium. Quamvis enim homo homini sine omni satisfactione culpam queat dimittere, quo minus tamen à Deo id fiat, tria obstant.

1. *Iustitiæ immutabilitas.* Deus enim severus iudex est, qui delinquentes non dimittit impunitos. Nam culpam pœna semper sequitur, quam delinquens ipse subire debet, pro rigore iustitiæ, sed DEUS eam filio suo imposuit, per magnitudinem misericordiæ.

2. *In corrupta DEI veritas.* Dixit DEUS: *Quacumq; die comederis, morte morieris.* Hic quid post culpam futurum sit, indicitur & prædicatur. Jam si DEUS peccatum protinus remississet, absque reatu mortis & satisfactione, falsum utique prædixisset, & veritas ejus haud consisteret.

3. *Intemerata legis auctoritas.* Hujus summa est, *Fac & vives; Ni feceris, maledictus eris.* Jam ut DEI essentia, sic & sententiâ lege patrefactâ, est immutabilis. Quare cum homo peccat, hoc ipso legis maledictionem protinus incurrit. Quisquis ergo dicit, DEUM ex nudâ voluntate peccata remittere sine omni satisfactione, hoc ipso legem DEI tollit, omnemque ejus auctoritatem enervat. Et hæ sunt illæ causæ, cur DEUS non largiatur veniam sine prævio λύτρω, quod tamen in vulgari debito fieri potest, & nonnunquam contingit; ideoque omnes Photinianorum illationes à similitudine humanæ remissionis aut dimissionis petitiæ, nervis carent, & nihil concludunt.

XXXIII. 6. Pro meliori intelligentiâ argumenti, & responsionis

tionis nostræ notandum est, quòd vox gratiæ sumatur. 1. ἀπλῶς
vel absolutè, respectu sui esse, quo pacto nihil est aliud, quam
essentialis Dei proprietas. Cum reliquis attributis simplicissi-
mum quiddam τὸ αὐτὸ adeoque idem cum Dei omnipotentiâ,
sapientiâ, justitiâ, nempe quoad ἁπλοῦς vel essentiam, quamvis
ratione κατηγορίας vel prædicationes identitatem istam non
admittat. 2. σχετικῶς relativè quatenus ad extra progreditur,
quo pacto vox illa πολὺσημῶς, & significat. 1. *Gratiam crea-*
tionis, qua DEUS nos homines condidit rationali anima præ-
ditos: quæ tamen acceptio catachrestica & impropria est.
2. *Gratiam conservationis*, quæ res creatæ à Deo clementer susten-
tantur, adeoque nihil est aliud, quam universalis providentia,
de qua *Actor. 27, ver. 25. 28.* Paulus loquitur. 3. *Gratiam revelatio-*
nis, qua Deus voluntatem suam partim in lege; partim in Evan-
gelio manifestavit, quæ revelatio imprimis per Christum con-
tingit, uti docetur *Johan. 1, ver. 16. 18.* Lex per Moysen data est,
Gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Deum nemo
vidit unquam. Unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse e-
narravit. 4. *Gratiam vocationis*, per quam revelatum verbum in
universo mundo prædicatur, omnibus gentibus annunciatur,
& Sacramentis ceu quibusdam sigillis fortissimè obsignatur.
5. *Gratiam renovationis*, quæ complectitur illustria pietatis do-
na, quibus peccati corpus destruitur, caro compescitur, ut abje-
ctis secularibus studiis in sanctitate vitæ ambulemus. De his
sermo sit *Roman. 12, v. 6.* Habentes donationes secundum grati-
am, quæ data est nobis, &c. *1. Cor. 15, v. 10.* Gratia ejus in me vacua
non fuit. 6. *Gratiam Salvationis*, vel quod idem est justificationis
& electionis, quoniam hæc omnia easdem causas habent. Et
hæc est illa gratia, quam hic intelligimus, quæ satisfactionem
minimè excludit. Nam gratuita quidem est; non tamen abso-
luta, sed in merito Christi fundata. Hinc dicimur electi in
Christo, *Ephes. 1, v. 4.* in quo & benedicimur *v. 3.* & accepti red-
dimur, *v. 9.* In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus,
v. 7. in quo justii sumus *2. Cor. 5, v. 21.* & salvamur *Act. 4, v. 12.* qui-
bus adde *Rom. 3, v. 24. 6. 4, v. 16. 1. Cor. 1, v. 4. 5. Galat. 2, v. 21. Eph. 2,*
vers. 5. 8. 9. Atque hæc gratia idem est, quod misericordia, ut

D

patet

Vox gratiæ
quot modis
accipiat.

patet ex Ephes. 2, versiculis 4. 5. 7. cum S. collatis. Illa Meritis & operibus nostris semper opponitur, non autem sanguini & satisfactioni Christi, unde sequitur, quod gratis salvamur, & ex gratiâ, quoad nostra merita, sed non absolutè quoad meritum Christi. Confundunt igitur contraria cum relatis. Putant Dei gratiam & Christi satisfactionem sibi contrariari invicem, cum tamen arctissimè conjuncta sint, quod patet vel ex unico Apostoli aphorismo Rom. 3, ver. 24. Nunquam hoc fieret? si contraria essent. Hæc enim se tollunt sed relatorum uno posito, statim ponitur & alterum, quare cum gratia Dei & meritum Christi se mutuò respiciant, a deoq; relata sint, vitiosum sit oportet Photinianorum argumentum, quando à positione gratiæ ad exclusionem meriti concludunt.

Exceptio. XXXIV. Verùm excipiunt; Quicquid dicatur, manet hoc, quòd si principalis finis mortis Christi fuit, ut divinæ satisficeret justitiæ, non tam nostri, quàm sua causa Christum Deus in mortem dedit, ut nimirum suum debitum reciperet. Vbi vero munificentia? ubi summus ille amor Dei in nos? Nullus hic est respectu ere alieno obstricti, nisi quis de suo jure cedat, & exactionem satisfactionis, à quocunq; illa proficiatur, relinquat Gittich. p. 5, Socinùs par. 3. c. 2. pag. 237. 241.

Responsio. Resp. 1. Inò invertemus argumentum. Nam propter quod unumquoque tale est, illud magis est tale. Si ergo Deus Christum in mortem dedit, ut suæ justitiæ satisficeret; Hanc verò satisfactionem voluit, ut salvâ justitiâ nobis possit reconciliari, utiq; Christum magis nostri, quàm sui causâ in mortem dedit. Ab ultimo enim fine vel ad ultimum proximè accedente (quia omnium ultimus est gloria Dei, Proverb. 16, v. 4. magis quàm ab intermedio fit denominatio & dijudicantur actiones, Deo certè nihil accessit, nec sui causa satisfactionem postulavit, sed unicè propter nos. Quia enim maledicti eramus per legis sententiam, erat illa maledictio per mortem filij prius expianda, ut æternùm salveremur.

2. Quod de Creditore addit, verum illud de privato & pecuniario non item de publico & judiciario, ut ita loquar, hoc est,

est, de vindice legis. Exactore & justitiæ ex officio suo. Hic enim si peccatoribus non indignetur, nec poenam imponat, hoc ipso iniquus est, non munificus. Interim si boni publici causa partim rationem monstret; quâ legibus satisfaciat, & salutem debitoris consuli queat, partim de suo redemptionis pretium & satisfactionem præstet, tunc & justus & munificus unâ ac misericors merito nuncupatur; id quod ad nostram quaestionem commodissimè sic applicari potest, ut & Justitiæ & misericordiæ Laus DEO tribuatur, nempe quod ex justitia nobis indignatus fuerit, ex misericordiâ de redimendis nobis cogitaverit, imò ut redemptio fieret, ne quidem proprio filio percerit.

XXXV. Instat Gierichius pagin. 91. *Sordes cum maxima stultitia conjunctæ sunt, non munificentia, donare alteri quidpiam quod statim ab ipso recipias. Quis me non delirum ac ab omni ratione alienissimum diceret, si aperta crumenâ meâ juberem debitorem meâ pecuniâ mihi solvere? Annon præstaret, sine crimine stultitiæ, quod per istas deliras ambages facio, statim ipsi debitum condonare?* Instantia.

Resp. 1. Chrysostomi dictum fuit; *Magnum est periculum, Solutio, res fidei humanis committere rationibus.* Nihil ergo curamus hanc instantiam, cum præter rationis cæcæ figmenta, & phantasias nihil nervorum habeat. Non sunt cogitationes DEI ut hominum *Esa. 55. v. 8.*

2. Delirant, qui delirium appellant, si quis debitori monstret alium, qui velit & possit pro ipso solvere id, cui solvendo ipse par non est, & qui absque solutione salvis legibus dimitti nequit. Ita verò Christus à Deo nobis datus est, ut nostri loco daret redemptionis ἀντίλυτρον 1. *Timoth. 2, vers. 6.* & propitiator esset pro peccatis nostris 1. *Jobann. 4, vers. 10.* Salutare hoc DEI consilium & admirandum justitiæ amoris-que temperamentum, quod in Scripturis passim inculcatur, Phoriniani scelesto ore nuncupant delirium, sed increpet te DEUS, Sathan. Aliud est ex propriâ crumenâ

D 3

pro



pro alio solvere, & statim ad se idem recipere. aliud est iudicem ex gratia monere & movere alium, ut pro debitore solvat. Hoc delirantis non est, sed miserantis & benevoli.

3. Stultum sordidumve non foret, si princeps clementiam impulsus ex suo arario daret pecuniam reo, ut multam debitam solveret bono publico. Qui ergo stultum esse dicitur, cum Deus idem facere statuitur; Nempè quia sapientia Dei stultitia est mundo.

ARGUMENTUM VI.

Ab autore reconciliationis.

XXXVI. Deus ipse autor est reconciliationis per Christum facta, imò nos sibi ipsi reconciliavit, 2. Cor. 5, ver. 19. Col. 1, v. 20. Ergo absolum est dicere, Christum nobis placasse iram Dei, suamque satisfactione Deum nobis propitium reddidisse Ostorodus in Institut. pag. 212.

XXXVII. Resp. 1. Nonnulli invertunt argumentum hoc modo: Si Deus nos sibi ipsi reconciliavit, tunc & Christum nos sibi; Patrique reconciliasse sequitur; Quia quæcumque facit Pater, filius pariter facit Iohann. 5, ver. 19. & Christus inquit, Omnia tua mea sunt, Ioh. 17, v. 10.

XXXVIII. 2. Vicissim disjunguntur, quæ Scriptura conpulat, videlicet Deum nos sibi reconciliasse, per sanguinem & meritum Christi, Hoc enim dicitur Rom. 5, v. 10. Reconciliati sumus per Christi non mortem filij eius ver. 11. Per Christum reconciliationem accepimus. Ephes. 2, ver. 4. Deus cum essemus mortui in peccatis convivit nos in Christo. vers. 15. Christus reconciliat ambos DEO, per crucem interficiens inimicitiam in semetipso. In hisce dictis nostra reconciliatio expressè partim dilectione DEI, partim merito Christi accepta fertur. Ideo;

Ideoque illa non sunt opponenda, sed pro subordinatis habenda. Sunt hæc relata non contraria. Quare uno istorum re-
latorum posito, etiam alterum poni, non tanquam contrarium
removeri debet. Et sanè ex hisce & similibus Photinianorum
argumentis nos firmissimè concludimus, ipsorum doctrinam,
prorsus non esse Apostolicam & divinam, eò quòd modum in-
ferendi Biblicum semper invertunt, & cùm Scriptura ab unius
processione ad alterius quoq; positionem progreditur, illi con-
trario modo remotionem & negationem colligunt. Cùm e-
nim legunt, *Deum nos dilexisse, & sibi reconciliasse*, mox Christi me-
ritum omne putant exclusum, Cùm tamen Scriptura includat,
Deiq; dilectionem & nostram reconciliationem in Christo fun-
datam esse passim doceat.

XXXIX. 3. Reconciliatio nostra dupliciter considerari
potest. 1. Ratione *Consilij vel cause primæ*. 2. Ratione *executionis*
vel cause meritoria. Quod spectat *Consilium* de facienda reconci-
liatione, istud Pater ex merà misericordiâ iniit, qui etiam nostri
causâ Filium misit, ut ita redemptionis nostræ initium Deo Pa-
tri, tanquam causæ omnium primæ meritò acceptum feratur.
Rectè igitur nos sibi reconciliasse dicitur, quoniam reconcilia-
tionem nostram procuravit, & media ejus invenit. Quod ve-
rò spectat *executionem & causam meritoriam*, hic Christus excludi
non debet. Nam eo fine missus est à Patre, & non alio, quàm
ut consilium ipsius de facienda reconciliatione exequeretur,
tùm agendo, tum patiendo, quod ipsum promptissimè & plenif-
simè præstitit: Quo respectu meritorio non Pater sibi, sed Pa-
tri Filius nos reconciliavit: Hæ sunt duæ causæ subordinatæ,
quæ si divellantur, reconciliatio tollitur. Pater enim nos sibi
reconciliavit, non per nudam acceptionem, sed mittendo Fi-
lium; Filius autem nos Patri reconciliavit patiendo, per cru-
cem & sanguinem, quod probè notetur. Sic enim ipsum me-
ritum luculenter exprimitur; quòd reconciliator sit Christus
non tantùm salutis modum annunciando, sed pro nobis mori-
endo, adeoq; sanguinem suum, redemptionis *ἀντίλυτρον*, inter-
ponendo. Atq; sic utriq; personæ tum Patri tum Filio, nostra
reconciliatio assignatur, Patri ut causæ primæ & remotæ: Filio
D 3
Et Patri, & Filio recon-
ciliatio no-
stra adscri-
bitur, sed
ut diverso re-
spectu.

ut causæ meritorie & propinquæ. *Patri* quoad consilium; *Filio*
 quoad executionem, *Patri* quia medium reconciliationis dedit,
Filio, ut ipsi mediatori & redemptori; *Patri* *πρώτος* vel origina-
 liter, *Filio* *ὀϊλασμον* vel meritorie. Indicatur hoc in illis ipsis
 Scripturæ testimonijs, quæ pro se citat *Ostorodus* ut 2. Cor. 5. post-
 quam *Apostolus* dixit ver. 19. *Deum reconciliasse sibi mundum*, simul
 addit, *in Christo*. Et postmodum subjicit ver. ultim. *Eum, qui non*
noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in
ipso. Audis, *Apostolum* manifestè indicare, *Deum reconciliasse*
 quidem mundum ut causam primam, sed per *Christum*, non ut
Prophetam & legatum per nudam prædicationem, sed quatenus
 ipsum fecit peccatum, hoc est, omnia nostra ipsi velut victimæ
 propitiatorie peccata imposuit, adeoq; nostro loco pati & mori
 debuit. Idem docetur *Coloss. 1.* ubi *Patri* vicissim ut causæ pri-
 mæ nostra redemptio adscribitur v. 12. 13. sed mox additur causa
 meritoria v. 14. *Transtulit nos in regnum Filij sui, in quo habemus Redem-*
tionem, quo modo & medio? *Ἀγὸς ἁμαρτῶν αὐτῶν*, Per sanguinem
 ipsius vicissim v. 20. dicitur: *Placuit Deo Patri per Christum reconcili-*
are omnia in ipso, per sanguinem crucis ejus v. 22, per mortem. Vides hîc
 perpetuam causarum subordinationem, & gratiæ divinæ cum
 Christi merito & sanguine copulationem, ut ita crassissimus sit
 Elenchus, ab unius relati positione ad alterius exclusionem ar-
 gumentari velle. Nos brevissimè dicimus *Causa efficiens non tol-*
lit meritoriam & finalem. *Deus* ex misericordia, tanquam causâ
 prima misit *Filium suum*, in hunc tamen finem, ut iram ejus ad-
 versus peccata nostra placaret.

ARGUMENTUM VII.

Ab humana debitorum dimis-
sione?

XL. Si *Deus* non nisi intercedente satisfactione remisit
 nobis peccata nostra: nobis quoq; idem facere erit inte-
 grum, præsertim quia jubemur *Deum imitari in condonan-*
dis

dis proximo peccatis Matth. 18, 27. Quare nisi prius nobis satisfiat, non remittamus proximo, id quod tamen est contra admonitiones Apostolicas de benignitate & misericordia Ephes. 4, v. ult. Cap. 5, v. 1. Uritur hoc argumento Socius part. 3. c. 2. p. 242. 243. Ostorodus contra Tradel, p. 212. & pag. 213. Gittichius in Epist. discept, p. 7.

XL I. Respond. 1. Iterum committitur Elenchus oppositorum, siquidem divelluntur conjungenda, & opponuntur subordinata. Utrumq; enim in Scripturis dicitur; *tum* Christum pro nobis pretium persolvisse, *tum* peccata gratis remitti, & in hac gratuita condonatione nos Deum imitari debere. Est igitur remissio gratuita *variè* respectu nostri, non absolute respectu Christi.

XL II. 2. Dimissio humana sic est gratuita, ut tamen quidam satisfactioni simile includat. Et hæc deprecatio & veniam petitio ex parte offendentis. Ut enim offensus in remittendo: Sic offensus in deprecando debet esse facilis & paratus. Ita monet Salvator Matth. 5, vers. 23. & 24. *Relinque munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo.* Et Matth. 18, vers. 16. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum?* Ut igitur offensam remittere debent homines, post factam correptionem & deprecationem, quæ est satisfactionis loco, si vox hæc sumatur generatim pro qualibet justa reconciliationis causa, modo ve; ita & Deus condonat nostra debita, quoniam præcessit intercessio & satisfactio Christi. Gratuita igitur venia non excludit omnem conditionem; omnemque intercessionis & satisfactionis respectum.

Remissio
humana a
liqua satisf
factioni si
mili inclu
dit.

XL III. 3. Argumentum nervis caret ob maximam Dei, hominumque disparitatem. Deus in remittendis peccatis non habet respectum nudi creditoris, sed potius justissimi iudicis. Neque enim putandum est, Deum peccata non averfari, non ponere, sed æquè affectum esse erga peccata & non peccata. Absit hoc à Deo justissimo, cujus natura est ipsa justitia; cujus Lex est immota & invariabilis; cujus comminationes sunt veraces &

In condonã
do magna
est dispari
tas Dei &
hominum.

ita

immutabiles. Quando igitur homo peccat in Deum, tum offendit ejus justitiam, violat leges, incurrit minas, & ante tribunal sistitur. Ubi Deus certè tanquam justus judex sine omni satisfactione debitum condonare, & peccatorem impunitum dimittere nequit; nisi seipsum negare, legem suam ipse tollere, imò minas verbumq; suum mendacij arguere velit. Omnia hæc quoad homines cessant, nec locum inveniunt. Nam homo non est prima justitiæ regula, non principaliter contra ipsum, sed potius in Deum, dilectionem proximi præcipientem delinquitur; non habet rationem personæ publicæ aut Magistratus, sed privati; non extat Lex aut mandatum de exigenda satisfactione, sed potius contrarium. Homines æqualis sunt conditionis, & alter alterum sæpius offendit, ideoque sine satisfactione remittere potest imò & debet, ob præceptum Domini. Deus autem nihil nobis debet, & causas prægnantes habet, cur debitum absque λύτρω dimittere tum nolit, tum nequeat. Declarari hæc possunt similitudine judicis, hic quâ privatus, injurias remittere potest, sed quâ judex, nocentem sine satisfactione absolvere non potest. Quâ ita? quoniam sic violaret justitiam, transgrederetur leges, & mendax foret in cominationibus. Jam verò Deus in Scripturis se judicem profiteretur, qui ad tribunal vocet omnes delinquentes, eosque vi legis suæ puniat nec antequam satisfactum sit justitiæ suæ & legi, dimittat. Quare hinc luculentum fit, aut pœnam debere infligi, aut satisfactionem interponendam esse. Iniquus enim foret judex, si reum ad tribunal delatum absolveret, nullumq; supplicium dictaret. Quæris; *Quis ergo Deum imitari possumus in condonatione delictorum, si ille satisfactionem urget, nos autem non urgere debemus?* Huic quæstioni satisfaciens quartum responsionis membrum, quod nunc addimus.

XLIV. 4. Distinguendum est inter misericordiam ipsam & misericordiam modum. Deus in remissione peccatorum misericors est, hoc modo dum alienam satisfactionem recipit, quia eam ipse procuravit, & à nobis nihil exigit, nos ergo debemus in hoc Deum imitari, uti præcipitur, *Luc. 6. v. 36. Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Hic ad virtutem ipsam ad-

Aliud est ipsa misericordia aliud certus misericordiam modus.

admonemur, sed non ad virtutis modum; Est DEUS misericors erga homines, alio tamen modo, quam homines. Aliàs si similitudo illa præter rem ad modum rei extendatur, tum sequeretur, & homines debere filios suos pro aliis in mortem tradere, quod tamen est prohibitum. Præter hoc & in illo DEUM imitari debemus, ut debitum gratis remittamus, ex parte debitoris, Ut enim nobis condonantur peccata gratis, sine omni nostro merito, sine omni satisfactione propria, sic & nos adfecti esse debemus erga proximum. Proinde illa conformitas cum DEO in tribus consistit. 1. In re, ut nempe misericordes simus & prompti ad remittendum, sicut & DEUS misericors est. 2. In rei conditione hac, ut remissio sit gratuita ex parte debitoris, ut ab ipso nullum λύτρον vel pretium exigamus, sicut & nos sine operibus à DEO iustificamur. 3. In sinceritate remissionis, quòd non debeat esse simulata, sed ex sincero, ingenuoq; animi adfectu profecta, uti CHRISTUS disertis verbis docet in ἀποδόση παραβολῆς Matth. 18. v. 35. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisq; fratri suo ἀπὸ τῶν καρδιῶν, de cordibus vestris, hoc est, sincerè & sine lupo. Qui verò istam conformitatem latius extendit ad excludendam satisfactionem omnem, sive propria sit sive aliena, is, 1. ἀπὲρ γρηγορῶν, imò contra Scripturam loquitur. 2. Principium petit. 3. Rem cum rei modo confundit & 4. Omne discrimen inter humanam & divinam debiti condonationem tollit, quod absurdum. Satis imitamur DEUM, si gratis & promptè remittamus: maneat verò ista differentia, quòd cùm DEUS iudex sit, alienam satisfactionem jure urgeat, nos autem, quia privati sumus, nihil quicquam postulare possumus imò nec debemus ob expressum Dei mandatum, Sunt ista similia in tantum, non in totum, ex semisse, non ex asse; quoad rem, non quoad omnem modum: Certo respectu, non quoad omnia & simpliciter.

Quomodo
possimus Deo
conformari
quoad mise-
ricordiam.

XLV. Sed ex mente Socini sic excipit Gittichius p. 49. Annon si vestram sententiam sequamur, potuisset debitor ille contra Regem excipere? Domine tu quidem remisisti, sed tum demum, cùm alter tibi pro me satisfecit; Inveniat quoq; iste conservus meus, qui pro illo mihi satisfaciat, & omnia ipsi remittam. Vides quæ monstra vestra sententia nobis pariat?

XLVI. Respond. 1. Noti sunt Canones de parabolis 1. Theologia

E

gia

*Canones de
parabolis.*

gia parabolica non est argumentiva. Si ergo fidei suæ Photiuiani nullas habent firmiores rationes, quàm parabolarum applicationes, eas quæ satis violentas, certè fundamentis levibus & ruinosis inniuntur. 2. Parabola extra scopum principalem non sunt extendendæ. Docet hoc *Chrysostomus* in Commentario super caput 9. Epistol. ad Roman. *Illud, inquit, ubiq; in adductis exemplis servari oportet, ne illa ad quævis probanda sumamus, sed electo eo quo adducta sunt usu, & ob quod usurpata sunt, reliqua omnia sinamus.* Et super parabolam de denario Matth. 20. *Non oportet in parabolis nimiam in singulis verbis curam perangi; sed cum, quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde utilitate collectâ, nihil ulterius anxiori conatu investigandum.* Cujus regulæ si memor fuisset *Socinus*, vanitatem suæ consequentiunculæ procul dubio ipse animadvertisset. Nam si ex quovis quidvis liceat colligere, pari modo concludam, omnes facinorosos esse impunitos dimittendos. Ut enim illi servo in parabolâ omne debitum dimissum est, tantùm quia rogabat Dominum, ita si reus coram judicio veniam petat, mox sine supplicio dimitti deberet, vi hujus parabolæ. Tales consequentiæ plures necti possent, quas tamen, ex textu non fluere, & præter scopum CHRISTI tantùm excogitari, tam stupidus quis est, quin videat?

*Scopus Pa-
rabola
Matth. 18.*

XLVII. Proinde ut de genuino parabolæ istius scopo aliquid addamus sciendum est. 2. Quod CHRISTI propositum ibi non fuerit Redemptionis mysterium exponere, sed tantùm nos officij nostri commonefacere voluit. *Occasionem præbuit Petrus, quærendo v. 21. Domine quoties in me peccabit frater meus & dimittam ei?* Respondet CHRISTUS: *Semper & quoties precatur veniam, id quod per parabolam declarat à rege, servo suo magnum debitum condonante.* Ubi tria inprimis gratiæ dimissionis motiva adhibet. 1. Ut imitemur DEUM, regem cælorum, Patrem nostrum. 2. Ut legem naturæ servemus, secundum quam aliis facere debemus, quod nobis fieri volumus, quod respexit CHRISTUS vers. 33. *Nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* 3. Ut gravissimum supplicium evitemus, aliàs enim futurum est; ut ne DEUS quidem peccata nobis dimittat sicut & promissionem, servo factam, de remisso debito, ob immisericordiam ejus ratam.

BOL.

non habuit, quod patet ex *vers. 34*. Ubi dicitur: *Et iratus Dominus
ejus, tradit eum tortoribus, quoadusq; redderet universum debitum*. Unde li-
quidum fit, quod cum *vers. 32*. Rex dicitur totum debitum dimi-
sisse, id non de facto ipso, sed de spe remissionis per promissionem
facta intelligendum sit. Hæc omnia si ad Christi scopum appli-
centur, nihil sequitur aliud, quam nostri esse officij condonare
proximo, si spem veniæ in Christo factam velimus habere ratam,
ad effugiendum supplicium. Sic ergo Christus ad rem ipsam nos
admonet, rei modum verò ex parte DEI nequaquam exprimit,
an nimirum DEUS per vel citra satisfactionem remittat debitum;
sed hoc aliis ex Scripturis addiscendum est, ubi clarissimè illud
asseritur. Quare sic exponi debet illa parabola, ne impugnentur
alia Scripturæ testimonia, Christi satisfactionem astruentia. Nec
enim sequela firma est à *silentio ad negationem*. Quamvis in ista pa-
rabolâ sileatur de Christi merito, non tamen ob id negari debet.
Aliàs sequeretur, sine Christo, sine omni ad sanguinem ejus re-
spectu fieri remissionem, quoniam ne quidem verbulo vel Chri-
sti vel sanguinis fit mentio; sed dicitur tantum Regem ad servi-
petitionem statim dimisisse debitum. Illud verò consequens est
contra universam Scripturam. Ergo & antecedens, ex quo istud
sequitur.

XLIX. 3. Si servus ille Photinianus fuisset, Regem suum
isto pacto eludere potuisset. Sed tum nondum innotuerat nova
fraus & sophisticatio Socini: Interim istam exceptionem planè
frivolam esse, inde patet, quod servo facta Regis, homini judicia
DEI non liceat in dubium vocare, aut ob illa expostulare: *ô Homo
tu quis es qui respondeas Deo, inquit Apostolus? Rom 9. v. 20. si quis er-
go præsumat cum DEO in iudicium intrare, meritò damnabitur
& responsum hoc accipiet: Annon tibi mandatum est, ut proximo poten-
ti des veniam? Annon ego Deus & Creator sum, cui debes obedientiam? An i-
gnoras legis meæ fulmen quod vibro in omnes præfractos peccatores? Deus ego
sum, qui me ipsum non nego, nec justitiam meam violo, ideoq; satisfactionem
jure urgeo. Tu autem servus es & ipse in multis offendis: proinde sine satisfa-
ctione proximo, ut mandavi condonare debes. Quod si non feceris tortoribus
æternum te cruciandum tradam.* Hic finis & fructus est exceptionis
Sociniani.

ARGUMENTUM IIX.

Ex regula justitiæ Divinæ, Ezech. 18.

versu 4, 20.

XLIX. Hæc ita habet: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Jam verò si dogma de satisfactione obtineat, tum sequitur, homines delinquentes dimitti, & Christum innocentem puniri, quod aperte pugnat cum regula justitiæ,* Ostorod. p. 213. Socinus 3. p. 253. Gittichius p. 1. & 2.

L. Respond. 1. Rursus Scriptura Scripturæ opponitur, Nam in illa utrumque asseritur; *tum animam peccantem puniri, tum CHRISTUM innocentem pro nobis esse mortuum.* Quare hæc *ἑκατάλληλα* erunt, non *ἐναντία*, ideoq; conciliari debent non inter se committi.

Sæpe puni-
tur non tan-
tùm anima,
quæ peccavit
sed etiam
alij.

LI. 2. Non desunt exempla, ubi non tantùm anima ipsa, quæ peccavit, sed & alij, culpæ autorem propinquitate attingentes, per se tamen ejus non participes, secundum arcana DEI judicia puniti sunt. Sic tota familia & omnis suppellex Achan flammis exusta est, *Ios. 7. v. 24.* & ob ejus peccatum totus populus Israëliticus punitus, de quo conqueruntur *Ios. 22. v. 20.* Omnem substantiam Core & quicquid ad eos pertinebat, ne quidem puerulis & infantibus excepit, absorbet vorago *Num. 16. v. 32.* Huc spectat locus *Esa. 14. v. 21.* *Preparate filios occasioni in iniquitate patrum suorum.* Adde infantes per sævitiam Herodis & in utroque excidio Hierosolymitano extinctos: filiolum Davidis ex Bethseba susceptum, & ob patris adulterium vitâ privatum *2. Sam. 12. v. 14.* ut & filios Saulis qui propter parentis vel avi Tyrannidem, adversus Gibeonitas exercitum suspensi sunt *2. Sam. 21. v. 55. 6. & 9.* Eoq; ipso placatus est DOMINUS *vers. 14.* Licet verò non fuerint simpliciter innocentes, attamen culpæ Saulis, nimirum Tyrannidis, ob quam

quam suspendebantur, non erant participes, Vide insuper Deut. 13. v. 15. ubi totæ civitates ob delectum quorundam gladio consecrantur. Ad hæc & similia exempla respondere coguntur ipsi etiam Phoriniani, & fit inde manifestum, quòd Ezechielis regula, quandam patiatur exceptionem, nec strictè adeò intelligenda sit. Nonnulli huc referunt exemplum vitij originalis. Si enim Adæ lapsus potuit imputari omnibus posteris citra læsionem justitiæ, quantumvis eum non ipsi commiserint, nec ad similitudinem prævaricationis Adæ peccaverint. Rom. 5. v. 14. tum utique DEUS etiam iniquitates nostras absq; justitiæ diminutione CHRISTO imponere potuit, imprimis cum in se illas volens receperit.

LII. 3. Historiæ Romanæ confirmant, quosdam & vice & causâ aliorum mortem oppetiisse, hoc est, morte sua mortem aliorum prævertisse, & vitam servasse, referente Pares in Epist. ad Rom. pag. 529. Exercitu periclitante Decius consul oraculi monitu in hostes sese conjecit, pro exercitu salvendo. Cui alioqui perendum fuerat. Curtius periclitante patriâ ob pestem, ejus causâ & loco in specum se præcipitem dedit, ut malum averteret. Tres Curij & duo Horatij pro patriæ libertate duello occubuerunt. Nisus apud Virgilium pro Euryalo socio à Volscente interfici voluit. Codrus Atheniensium Rex hostium gladiis ultrò sese objecit pro regno. Menecæus ut Thebarum patriæ saluti consulere, seipsum confodit, confossum ad hostes de turbavit. Et sanè Rom. 5. v. 3. expressè dicitur, aliquem pro altero mori posse. Quamvis verò in his exemplis 1. alter pro altero non puniatur, 2. nec satisfaciat, attamen hinc discimus, 1. non simpliciter à regula justitiæ deviare, si quis pro alio, 2. in his exemplis particulam PRO non commodum, sed vicem notare.

LIII. 4. Distinguiamus inter strictum jus & æquitatem. Est illa regula stricti juris, quæ nihil derogat æquitati & moderamini *Strictitas*, in Evangelio patefactæ. Judex si rigorem justitiæ adhibeat, tum delinquentem ipsum ad pœnas rapit, nec alienam satisfactionem accipit: Interim sine injustitiâ quidpiam remittere potest, ut severitas mutetur in æquitatem, quando vel in totum recipit solutionem alienam, vel pœnam patitur inter delin-

Quidam aliorum vice mortui sunt

Disting. inter strictum jus & æquitatem.

quentem & intercedentem. Jam ut hoc applicetur, dicimus illum Prophetæ aphorismum esse legalem & stricti juris, ubi semper valet: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*: Ut vero Lex non tollit Evangelium, sic legales sententiæ, non sunt opponendæ Evangelicis. Ex quibus discimus, DEUM Patrem ex sua bonitate misisse Filium, ut pro nobis daret precium redemptionis. Breviter ergo & summam dicendo; Anima peccans ipsa moritur, ex judicio stricti juris, & foro humano, & divino secundum legem; pro anima peccante CHRISTUS moritur ex judicio æquitatis, & benevolo consilio Trinitatis secundum *Ἰσχυρίαν* Evangelij. Illud rigorem, hoc amorem judicis ostendit, quod ipsum paucis complexus est Dn. D. Hunnius p. m. tract. de justif. Tom. 1. colum. 557. *Regula hæc est justitiæ divinæ, si illa æstimetur ex ultimo rigore suo, quando sine misericordiæ adjunctione pensatur, ut videre est in lapsis Angelis, at in mysterio redemptionis nostræ hæc justitia temperatur bonitate Dei &c.* Quare ut misericordia DEI non tollit ejus justitiam, ita hoc opus misericordiæ, quo Filius pro nobis satisfecit, justitiæ non adversatur, sed admirandum clementiæ temperamentum, in redemptione nostrâ adhibitum manifestat.

Nudus homo pro homine satisfacere non potest: Christus autem *Ἰσχυρίαν* posuit.

LIV. 5. Distinguimus inter *ψιλὸν ἄνθρωπον* & *θεῖον ἄνθρωπον*. Loquitur dictum de hominibus meris, quorū alter alterius pœnam non portat; Filius enim Patris supplicium non luit, cum ipse impietate vitæ ambulat. Alia autem ratio est *θεῖον ἄνθρωπον*, ob speciale consilium DEI. Quamvis enim *λόγος* innocentissimus extiterit, nec dolus in ore ejus fuerit inventus, adeoque nullum meruerit respectu sui supplicium; placuit nihilominus DEO Patri, omnium nostrū iniquitates super ipsum ponere, & propter peccata nostrâ vulnerare, *Isa. 53.* Quem unicum textum, si considerarent Photiniani, puderet ipsos tam putidæ ratiunculæ. Ibi enim expressè dicitur v. 5. ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, v. 6. Posuit Dominus in eum iniquitatem omnium nostrorum. Quæ verba prorsus rejicienda erunt, si regula Ezechielis sine omni exceptione urgeatur, Quia verò Prophetæ non contradicit, nos inde colligimus, Ezechielem de hominibus meris, *Isaiam* de Messia mundi & CHRISTO *θεῖον ἄνθρωπον* loqui: Illum regulam posuisse, hanc exceptionem à regula ostendisse.

L V. 6.

L V. 6. Distinguimus inter poenæ *susceptionem voluntariam & impositionem violentam*. Si quis spontè & ultrò se offerat ad satisfaciendum pro alio, illi non fit injuria, si imponatur poena, ut cum Lex utriusque oculi effulsionem poscit, sed supplicium dividitur inter delinquentem & ejus amicum; qui se ex libera voluntate obtulit, tum judex hoc ipso non injustus & severus, sed miris & æquus est, quòd conditionem accipit & à stricto jure remittit. Nam delinquentis miseretur & amici intercedentis voluntati satisfacit. Volenti autem non fit injuria. Cum verò supplicium imponitur invito, qui & rectè vixit, & illud modis omnibus recusat, tum iniquus foret judex, qui ad poenam cogeret & traheret reluctantem, locoq; facinorosi plecteret. Tunc enim valet illa justitiæ regula: *Quæ peccaverit anima, morietur, & filius non portabit iniquitatem patris*. Patet hoc ex toto contextu & scopo Domini. Judæi utebantur hoc proverbio: *Patres comederunt uvam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt* v. 2. Sensus erat; Patres nostri peccaverunt, nos poenam luimus, quamvis præceptis DEI diligenter obediamus. Falsum hoc esse DEUS pronunciat, ideoq; v. 4. respondet: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*, Sensus est, si quis piè vivat, mihiq; serviat, ille ob peccatum patris sui non punietur invitus, non trahetur ad supplicium, uti clarè docetur, v. 17. 18. & 19. Ex quibus liquet, illam sententiam tantùm agere de supplicio invito, quale præter meritum Judæi opinabantur, sibi esse impositum, id, quod voluntariæ solutioni aut poenæ susceptioni nihil derogat, quippe, quam sine injuriâ solventis fieri, & judicis lenitatem potius quàm severitatem innuere, quivis recta ratione præditus & frequentibus exemplis edoctus intelligit. Jam si consideremus mortem & passionem CHRISTI, fuit utiq; illa voluntaria & spontanea, non violenta aut coacta. Licèt ergo poenam non meruerit, quia omni peccato caruit. Attamen nulla ipsi facta est injuria. Cum DEUS Pater super eum prævaricationes nostras posuit, quoniam illas libenter tulit, & semetipsum redemptionis pretium promptè dedit, nostriq; loco persolvit. Vitiosa igitur est collectio à violenta supplicij impositione, quæ iniqua, ad voluntariam susceptionem, quæ judicis æquitatem & suscipientis amorem commendat.

Aliud est poenæ susceptione voluntaria, aliud impositio violenta.

LVI.

Peccatum
aliud est
personale,
aliud ori-
ginale.

LVI. 7. Distinguiamus inter peccatum *personale* vel unius hominis aut populi, & *originale* vel totius mundi. Dictum Ezechielis loquitur de peccatis *personalibus*, quæ non imputantur aliis hominibus, vel de peccato individuali patris, cuius supplicium non luit filius, uti v. 17. expressè indicatur. De his enim singularibus delictis verum est, quòd anima peccans ipsa morietur. Jam verò longe alia ratio fuit passionis CHRISTI. In illà totius mundi peccata sunt imputata, siquidem agnus est, ἀἴρων τὸ ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, i. Iohan. 1. v. 29. Quod planè singulare fuit & extraordinarium. Quamvis igitur homo pro homine non puniatur ob delictum personale; quod vult sententia Ezechielis; DEI tamen filius ex decreto Patris secundum scripturas pro peccato universali & totius mundi est mortuus, ut nos ab æternà damnatione liberaret, & sibi sanctificaret. Hoc speciale fuit, secundum communes regulas minimè æstimandum. Notus enim est Canon illitritissimus; *Ab ordinario ad Extraordinarium non valet consequentia*. Sicut non sequitur; DEUS prohibuit homicidium & furtum. Ergo non potuit Abrahamo imperare immolationem filij Genes. 22. Israhælitis spoliationem Ægyptiorum Exod. 11. Nam hæc omnia sunt exempla singularia & exceptiones à communi regula; quod ipsum etiam de CHRISTI passione, nostri loco susceptà, cogitandum est.

LVII. Excipit Gittichius x. p. 65. *Iudeos conqueri non de peccato unius hominis sed universi populi majorum*. Resp. Ethæc vocantur personalia vel singularia, quia non toti generi humano, sed tantùm certo populo, certis individuis fuerunt communia.

2. Pag. 67. *Christum non potuisse mori pro personalibus, sed tantùm pro originali*. Resp. abinclusiva ad Exclusivam non valet consequentia. CHRISTUS sic mortuus est pro peccato universali, ut per meritum ejus expiata sint simul alia ex originali profluëtia peccata; Et quicquid hic dicitur, ex cæcæ rationis iudicio contra expressas Scripturas desumptum est. Illæ enim ubiq; clamant, Christum pro nobis & propter nostra peccata esse mortuum.

LVIII. Verùm perpetuò urget hoc Gittichius, *Alterum pro altero*

altero punire est injustum? multò verò injustius, innocentem pro nocente: at longè injustissimum, innocentissimum pro improbissimis. Eadem inculcat Socinus parte 3. c. 3. p. 251. & 309.

Resp. 1. Est nuda repetitio coccyli prioris, quare repetimus nostras responsiones, quòd istud quidem verum sit, 1. de stricto jure, 2. de *ψίλω ἀνθρώπω*, 3. de judicio singulari & humano, 4. de pœnæ impositione violentâ, & 5. de peccato personali. Falsum autem est, si applicetur ad temperamentum Dei & salutem hominis, si intelligatur de *θεῶν ἀνθρώπω*, de singulari & extraordinario DEI consilio, de pœnæ susceprione voluntariâ & peccato universalis. Alii sic limitant: Non est crudele, 1. si innocens cum nocentibus sit ejusdem naturæ, 2. si spontè ad pœnam luendam se offerat, 3. si possit suis viribus è pœna emergere, 4. alios isto pacto liberare, 5. Dei gloriam & salutem hominum promovere, quæ omnia in satisfactione Christi concurrunt. Absurdum id est quoad rationem, quæ in hoc mysterio cæca, sed non quoad Evangelium, cujus judicium à judicio i. rationis, & 2. legis accuratæ hîc discernendum est. Si quæras, *Vnde hanc restrictionem probemus?* Parata est responsio, & manifestis Scripturis, quæ dicunt Christum ob iniquitates esse percussum; factum execrationem, *Galat. 3.* & peccatum, *2. Cor. 5.* imò justum esse mortuum pro injustis, *1. Pet. 3. v. 18.* Adde insuper manifestum locum, *Rom. 5, v. 6.* *Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est. Vix autem pro justo quis moritur. Nam pro bono forsitan, quis audeat mori. Christus autem cum adhuc peccatores essemus pro nobis mortuus est. Sicut hîc mori pro justo, est loco justî mori, (fortè in Tyrannide & persecutione aliquâ, ubi optio datur, Aut tu, aut ille moriatur. Vel alter pro altero mori eligit:)* sic etiam cum Christus pro nobis impijs dicitur mortuus, idem est ac loco nostri esse mortuum.

Limitatio dicti.

Ezech. 18.

Esai. 53.

Excipit Gittichius p. 181. 1. Christum pro nobis quidem esse mortuum, sed non punitum, non idem esse pro aliquo mori & vice seu loco alicujus mori. 2. patere idem ex opposito, mori pro pio, talis enim mors nullo modo ad satisfactionem pro justo præstandam suscipi potest, cum ille nullius criminis reus teneatur.

Resp. ad 1. Qui pro nobis mortuus est, is pro nobis pœnam peccatorum sustinuit, quia mors est pœna peccati, Christus autem

F

tem

tem pro nobis mortuus esse dicitur. Quare penam peccatorum pro nobis sustinuit; Hinc *Esai*, 53, v. 5. expressè dicitur, *Castigatus propter iniquitates nostras*; Deinde licet pro aliquo & vice alicujus mori nonnunquam differant ut generale & speciale; hinc tamen ob aperta Scripturæ testimonia & materiæ subjctæ naturam coincidunt. Et quis aliud intelligat, si pro impio, quem mori audeat, quàm loco impii eam mortem suscipere?

Ad 2. Licet cum aliquis necem subit pro pio, non satisfaciat pro peccatis, cum justus sit: attamen manet hoc, quòd pro ipso sit loco ipsius mori, nempe ut salvus evadat, & ex vitæ periculo liberetur, in quo alioqui versabatur. Hæc omnia cum manifesta sint, firmiter illis inhæremus, quamvis cæca ratio meras sibi contradictiones & absurditates politicas fingat: Sufficit nobis Scripturæ vox aperta, quam plus curamus, quàm infinita rationis obloquentis figmenta & pigmenta. Est enim hoc mysterium à secularis tacitum, suo tempore patefactum, quòd religiosè credere, non malitiosè contemnere, nec hinc inde conquisitis ratiunculis eludere debemus.

LIIIX. 2. In re pecuniaria, quando alter pro altero sponditur, si debitor solvere nequeat, sponsor licet debitum non contraxerit, nec ipse pecuniam mutuò acceperit, meritò ad solvendum urgetur, aut si recuset solvere, propter sponsonem suam carceri sine injuriâ aut crudelitate includitur. Et si non habeat in ære, unde solvat, luit in corpore, non solum causâ, sed etiam loco & vice illius, pro quo sponditur. Si hæc salva justitia in humano foro contingunt, cur ob id Deum crudelitatis aut in justitiæ accusabimus, præsertim cum ista filij satisfactio in nostrum usum longè maximum cedat? Si sponsor pro alio puniri potest, cur non etiam Christus mediator noster pro nobis seu nostri loco crucifigi potuisset, uti Scriptura passim asserit.

ARGUMENTUM IX.

Ab absurdo consequente.

LIX. Si Christus pro nobis satisfecit, major ejus fuit misericordia in genus humanum, quàm Patris. Christus enim à nemine quicquam postulavit, sed Patrem in super movit, ut nostri misereretur, & nobis reconciliaretur. Movens autem

autem principale fortius est motu. Vnde sequitur, Homines plus gratitudinis debere Christo, quam Deo Patri: Imò huic nihil debere, cum ipse pretium sit persolutum. Ostorod. p. 213. Catech. Racov. p. 263.

LX. R. 1. Fingitur hic hostilis dissensio inter personas Trinitatis, & malè opponitur Patri Filius, cum utriusq; sit una essentia, una misericordia, una justitia, & voluntas. Si ergò Filii magna est Misericordia erga genus humanum, utique & Patris: Si satisfactum est justitiæ Patris, utiq; & Filii, quoniam satisfactio illa non respicit solum Patrem, sed divinam justitiam, quæ Patri, Filio, & Spiritui sancto communis est. Quod admirandum opus, cæcæ quidem rationi minus consentaneum esse lubenter fatemur. Ideoq; illa varias necit argutias & consequentias adversus clarissima Scripturæ testimonia; cum tamen illa salutis nostræ Oeconomia planè singularis & incomprehensibilis grato potiùs corde sit prædicanda, quàm curiosius inquirenda multò minus argutiis involvenda, vel calumniis diabolicis deformanda.

LXI. 2. Quamvis Filius sola in assumpta humanitate pro nobis passus sit, ipsam tamen reconciliationis opus toti Trinitati, quippè ex cujus consilio prodiit, commune est, Lomb. lib. 3. dist. 19 lit. F. Reconciliavit nos, inquit, tota Trinitas virtutis usu, scil. dum peccata delet; sed ceptum est se Filius solus impletione obedientiæ. Ipsa humanitatis assumptio licet terminetur in filio, ortu tamen trahit à tota Trinitate, quod veteres de-

clararunt similitudine. 3. puellarum, quæ omnes uni quandam tunicam induunt.

LXII. 3. Nostri cum accuratè, loquuntur, non statuunt; Christum satisfactione suâ patrem movisse, ut simpliciter vellet nostri misereri. Nam justitia, non misericordia flagitabat satisfactionem, quæ ipsa non effecit, sed secuta est Dei amorem, qui rectè dicitur fundamentum & origo salutis nostræ, à quo ipsa etiam satisfactio Christi dependet, quam Deus gratis per fidem nobis imputat.

LXIII. 4. Ut in specie ostendatur, quanta sit Patris misericordia, & quantum præstet in salvatione nostra, considerari volumus, 1. Missionem Filii. Prodiit hæc ex summa dilectione, & arcano Patris consilio, Joh. 3. Per quod decreta est redemptio nostra, ut ita princeps & prima salutis causa nulla sit alia, quàm benevola voluntas Patris, Filium mittentis. Nisi enim Pater ipsum in carnem misisset, redemptio nulla secuta fuisset, ut primæ in salutis negotio Deo Patri meritò adscribi debeam. 2. Arctissimam Patris & Filii conjunctionem. Hinc n. fit, ut quicquid filius egerit, consequenter & suo modo Patri acceptum feratur, quoniam unum sunt. Testatur de hoc Christus

Octo præstat
Deus Pater
circa salutis
nostræ negotium.

ipse *Joh. 14, v. 10.* Non creditis, quia ego in patre & pater in me est? Verba
quae loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem in me manens ipse
facit opera. Et v. 31. ait, se in redemptionis opere sic agere, sicut man-
datum sibi fuerit à patre. Notanter hoc ipsum exprimit Apostolus
2. Tim. 5, v. 18. *DEVS nos reconciliavit sibiipso per Christum; & v. 19.*
Quoniam DEVS erat in Christo, mundum reconcilians sibi non imputans,
illis delicta eorum, &c. Alieni meriti acceptationem. Stricto jure si nobis-
cum agere voluisset Pater, poenas à nobis in alium derivari non
permisisset. Verùm memor misericordiae suae obedientiam
Filii Redemptoris nostri ratam & gratam habuit, ac sacrificium
mortis ejus in odorem suavitatis suscepit, *Ephes. 5, v. 2.* Qua de
causa dicit Christum esse suum filium dilectum, in quo beneplaci-
tum habeat, *Matth. 3, v. 17.* 4. *Vltioris satisfactionis intermissam ex-*
actionem. Non enim *DEUS* Pater à nobis postulat opera vel
plenam legis obedientiam, si justificari velimus, sed absque
operibus, absque propriis meritis, ex solâ gratiâ in Christo fun-
datâ, nos justificat, quod maximæ benignitatis argumentum est:
5. *Verbi & Sacramentorum concessionem.* Quid prodesset Christi meri-
tum, nisi illud per certa nobis organa offerretur? Illa verò non
solus filius, sed tota Trinitas procurat. 6. *Fidei infusionem:* Non
est in potestate nostra credere & meritum apprehendere; solus
DEUS hoc nobis donum concedit, suamque vicissim restatam
facit misericordiam, *Ephes. 2, v. 8.* *Gratiâ estis servati per fidem, &*
hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. 7. *Gra-*
tuitam imputationem. Hæc Patri adscribitur & ipsam justificationis
essentiam complectitur. Nihil satisfactio prodesset, nisi pater
eam nobis imputaret & pro rata haberet. Nam in hoc consistit
beatitudo hominis, quòd *DEUS* imputat justiciam sine operi-
bus, *Rom. 4, v. 7.* Tandem 8. *Conservationem usq; ad finem vitæ, & mox*
subsequentem glorificationem. Hoc iterum est beneficium non so-
lius Filii, sed Patris & Spiritus sancti, qui opus bonum, quod in
nobis cepit, perficit usque in diem Jesu Christi, *Philip. 1, 6.* & quos
justificat, illos & glorificat, *Rom. 8, v. 30.* Ex hisce igitur, satis super-
que pater, quanta sit Dei Patris imò omnium Trinitatis persona-
rum misericordia, quam in salutis nostræ negotio adhibent, ut
ita merito idem honor & cultus exhibendus sit,

LXIV. §. Si quæras, Annon Filij major sit amor, quàm Patris, cum ille *Quæstio:*
pro nobis mortuus sit, hic non item, ille satisfactionem urserit, hic secus? *An Patris vel*
Filij amor er-
ga nos major
fuerit?
Resp. 1. Quod de satisfactione dicitur, non potest simpliciter ap-
probari; Satisfactum enim est justitiæ divinæ, quæ communis
toti Trinitati, ideoque filius à satisfactione excludi planè non
debet: 2. Speculatio de gradibus misericordiæ supervacanea est,
ex rationis curiositate profecta in Scripturis nullibi fundata;
Scimus, quòd tota Trinitas nos impensè dilexerit & etiam
num diligit. Quid opus est de gradibus dilectionis scrupu-
losè differere? 3. Imò gradus hic nulli dantur, quoniam amor &
Patris & Filii summus est. In summitate autem magis & minus
locum non habet. Non majus, quia supra summum daretur supe-
rius, quod absurdum, Non minus, quia tum summum non foret
summum. Supra quod enim datur gradus superior, id summum
minimè est. At verò dilectio Patris & Filii erga nos utrobique
summa & in gradu summo est, quamvis diverso respectu: Sum-
ma est charitas Patris, quia non pepercit filio, Rom. 8; v. 32. Sum-
ma est charitas Filii, quia non repugnavit pro nobis etiam inimi-
cis mori, Rom. 5, v. 6. 7. 8. Figmentum igitur rationis & ludibrium
Satanæ est, quæcunque Photiniani de inæquali Patris & Filii di-
lectione disputant, cum utraque summa sit; in summo autem
gradu inæqualitas locum non habeat. Quo stante mox cadit &
istud, Filio plus, Patri minus tribuendum. Si enim uterque ex æquo
nos dilexit, ex æquo salutem procurat, quoniam utriusque dile-
ctio & salutis cura est summa; cur inæquali Patrem & Filium ho-
nore prosequeremur? Negat hoc Christus Iohan. 5, v. 23. ubi cultus
æqualitatem his verbis confirmat. Pater omne iudicium dedit Filio,
ut omnes honorificent Filium sicut & honorificent Patrem.

LXV. Excipit Ostorodos; Aut Christo satisfactum est ab alio, ubi qua-
ritur quis ille sit? aut satisfactum non est, & adhuc sequitur, intensiorem in
Christo, quàm in Deo Patre misericordiam inveniri?

R. Satisfactum est per Christum justitiæ divinæ, quæ una
est communis omnibus tribus Personis, ideoq; non opus fuit,
ut ab alio satisfaceret, sed sibi ipsi satisfecit Christus, cum Deo sa-
tis, quia ipse est Deus: Quæris, Cur non & Pater sibi ipsi satisfecit

de Patris vel Filij? Profluxit hæc calumnia ex eo, quod personas Tri-
nitatis in opere redemptionis putat hostiliter dissensisse, cum ta-
men identitas fuerit voluntatis & optima consensio.

ARGUMENTUM X.

Ab æternâ morte & damnatione.

LXVII. *Quicumq; non subiit æternam mortem, sed tantum
temporalem, is pro nobis nequaquam satisfecit, nec nostras
pœnas sustinuit, quippè, quarum maxima pars est æterna da-
mnatio. Atqui Christus tantum temporalem, non æternam
mortem subiit: Ergo pro nobis nequaquam satisfecit, nec no-
stras pœnas sustinuit. Ostorod. pag. 214. Catech. Rac.
p. 263.*

LXVIII. *Resp. Conclusio contrariatur Scripturis præsertim
c. 53. Esaia, ideoque vitium erit in argumento. Dicimus ergo r.
In mājori esse insufficientem enumerationem, qui defectus sic
compleri debet: Qui non subiit mortem æternam, nec pœnam illi equi-
pollentem is pro nobis minimè satisfecit. At verò Christus, licet mor-
tem æternam non subierit, tamen pœnam æquipollentem, sum-
mos nimirum dolores perpessus est, qui temporales quidem &
finiti fuerunt, nihilominus habent infinitum pondus ob digni-
tatem personæ atque sic morti æternæ æquipollent. Non
enim fuit passio $\psi\lambda\gamma\ \alpha\nu\theta\rho\omega\pi\gamma$ sed $\theta\rho\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\gamma$! Non meri ho-
minis, sed veri Dei, qui suo sibi sanguine acquisivit Ecclesiam.
Act. 20, v. 28. adeoque quod deest finito tempori, hoc comple-
tur per personam infinitam, quæ temporali passioni pondus
infinitum addit. Sicut enim peccatum Adæ in se quidem non
fuit æternum & infinitum, interim tamen habuit vim culpæ
infinitæ totum genus humanum damnationi subjicientis, quia
æternum & infinitum Deum læsit: Sic & mors Christi ratio-
ne temporis finita, ratione valoris infinita est, quia DE I infi-
niti mors est. Sic igitur infinito peccato & infinitis pœnis,
per peccata contractis opponitur infinitum CHRISTI
meri-*

*Mors Christi
æquipollebat
mori æternæ*

gentium, vel infinita eius satisfactio. Ratio infinitatis utrobique sumitur à Deo infinito, qui per peccatum læditur & pro peccato satisfacit.

LXIX. Socinus pag. 267. excipit: *Si verum hoc esset, levissimâ aliquâ pœnâ de Christo sumptâ, justitia Dei satisfieri potuisset, ut non opus fuerit tam diris eum cruciatibus affligi. Nam & levissimæ pœnæ hoc pondus ab æterna Deitate addi poterat.*

Respond. A posse ad esse non valet consequentia. Nec hinc respiciendum est quid fieri potuerit, sed quid Deus fieri voluerit. Ipsi enim placuit, ut Filius propter iniquitates nostras variis modis percuteretur, ad ostendendam iræ suæ gravitatem, peccatorum abominationem, & satisfactionis certitudinem.

LXX. Gittichius pag. 5. instat similiter: *Si una gutta sanguinis fuit sufficiens, reliquæ sunt frustra effusæ, & Deus fuit crudelissimus, qui plus requisivit.*

Num una
gutta sangui-
nis Christi suf-
fecerit ad no-
stram Redem-
tionem?

quæstio
de peccatis

Respon. Quod de una guttâ sufficiente dicunt Theologi, non est intelligendum absolute de consummatione meriti & consilio Dei, sed respectivè quoad dignitatem personæ. Hujus enim sanguis fuit ipsius Dei sanguis, *Matth. 26, v. 18. 1. Joh. 1, v. 7. Actor. 20, v. 28.* ideoque ex se dignus & idoneus satis, cujus vel unica gutta esset ἀντίλυτρον pro peccatis mundi. Interim Deo placuit & placere sine crudelitate potuit, Filium gravissimè percuti & vulnerari, *Esai. 53.* ideoque una gutta non fuit sufficiens ratione totius meriti, & consilii divini, siquidem Deus multâ sanguinis effusione Testamentum novum sanciri voluit, ad apertius demonstrandam justitiæ & veracitatis gloriam. Neque fuit hoc crudelitatis, aut injustitiæ signum, nisi Scripturam ipsam, quæ de Deo isthæc affirmat, tanta illi crimina impingere, blasphemè statuas.

LXXI. Pergit instando Gittichius pag. 86. *Propositum & consilium Dei absurda ista eludere non posse.* Si enim propter Personæ dignitatem una gutta satisfacere poterat unam tantùm decernere sibi pro satisfactione ab æterno Deus debuit, nisi iniquus exactor debiti fieri voluisset. *Præterea:* Eriam si Christus plus voluisset solvere, quàm debebat; justitia tamen Dei plus accipere non debebat. *Ejusdem enim justitiæ est, cavere nimium & paucum.*

Resp.

Resp. 1. Phrasis ista, *unam guttam suffecisse*, Patrum est, non Scripturæ: Pia cogitatio est, non fundamen nostræ fidei. Quare, si quædam inde sequantur absurda, mordicus eam non defendemus. Hoc certum est ex verbo Dei, guttam unam non absoluisse totum meritum & sacrificium pro nobis offerendum, aliàs post circumcisionem mori & pati Christus non debuisset. Interim cum persona sit infinita, dicimus hoc respectu, quamvis guttulam fuisse infiniti valoris, & ratione sui, non tamen Dei sufficientem, qui optimè solus novit, quantum requiratur ad plenam satisfactionem, & cur Filium suum præcisè tot plagas, nec pauciores nec plures pati voluerit. Scimus omnia opera ejus esse justa, ergo & filij crucifixio, licet videatur nobis ob infinitatem personæ unam guttulam suffecisse. Interim certum est ex Heb. 9, v. 15. non unâ guttâ, sed morte ipsâ ad satisfactionem opus fuisse, cujus causas satis graves ibi Apostolus commemorat. 1. Ex sententiâ Photinianorum potius consequitur, Deum esse Tyrannum crudelem, quippe, qui Christum nec propter sua, quæ nulla erant, nec propter nostra peccata sic excruciarit & percusserit usq; ad mortem, injusta enim est mors & pœna omnis, quæ non propter culpam & peccatum infligitur.

LXXII. 2. Alij ad minorem respondent, & Christum suo modo æternam mortem subiisse concedunt. Sciendū verò, quod illa non denotet perpetuam animæ, corporisq; divulsionē, siquidem hoc pacto, ne damnati quidem mortem æternam subirent, sed 1. immensitatem dolorum infernalium. 2. æternam taliū dolorum continuationem. *Prius æternæ morti essentielle est; posterius accidentale. Prius* Salvator subiit, ut liquet ex gravissimo ejus agone & dicto Ps. 18, 6. *Dolores inferni me circumdederunt.* Hinc tam ardentibus ad Deū preces effudit, *Matt. 26, v. 39 & 40.* & tristis fuit usq; ad mortē. *v. 37.* quia iram Dei, à quâ nos servavit. *Rom. 5, v. 9.* in se effusam & horrendum judicium adversus peccatum sibi impostum esse sentiebat. *Es. 53, v. 5. 6. 8. 9. Rom. 8, v. 3. 2. Cor. 5, v. 21. Gal. 3, v. 13.* Aliàs dicant mihi, quî factum, ut Christus ad mortem adeò exhorruerit & guttas etiam sanguineas emisit *Luc. 22, v. 44.* nisi Patris iram sensisset. Martyres reliqui mortē læti subiere & tamen peccatis non caruerunt. Christus autem innocentissimus

Mors æterna duo denotat.

Christus sustinuit dolores inferni.

¶

cur

cur adeo exhorruit, cur calicem à se transire voluit, nisi ob ferum
sum iræ & gravitatem doloris? Docet hoc clamor iste Matth. 27.
v. 46. & Psal. 22, v. 2. & 3. *Deus quare me dereliquisti?* Hoc igitur pa-
cto æternæ mortis pœnam essentialiter consideratam, nostri lo-
co Christus sustinuit, imò majores cruciatus pertulit quam uni-
versi homines sustinere possint. *Posterius* quod concernit, illud à
Christo alienum est, nec enim infinitas temporis vel perpetua
doloris duratio in Christi passione locum habere vel debuit vel
potuit. *Non debuit*, quoniam mors ob infinitam personam jam-
tum erat infiniti valoris. *Non potuit*, i. ob unionis personalis indisso-

Cur Christi mors non potuerit esse æterna? *libilitatem*, ob quam necessarium fuit, corpus Christi resurgere,
nec in cineres dissolvi, quia quæ λόγος assumpsit, nunquam de-
ponit. 2. Ob *divinarum promissionum infallibilitatem*. Debebat enim
caput serpentis conterere Gen. 3, v. 15. corruptionem non videre
Psal. 16, v. 10. in æternum sacerdotio fungi, Ps. 110, v. 4. & tanquam
perruptor ascendere, Mich. 2, ver. 13. tandem 3. ob *corporis sanctita-
tem*. Nostra corpora in cineres resolvuntur, quia peccato sunt
obnoxia Rom. 6, v. 6. Christi autem corpus sanctum fuit & incon-
taminatum, ideoq; corruptionem videre haud potuit, Ps. 16, v. 10.
Licet autem Christus mortem ratione temporis æternam non
pertulerit; attamen ratione *gœtiæ* & dolorum infernalium susti-
nuit, in quibus ipsa mortis essentia consistit, adeoq; hinc infini-
tati supplicij & pretij, nil quicquam decedit, de quibus fufius
differentem vide Dn. Doct. Gerbardum Tom. 3. LL. CC. pagin.
1080.

Æternum dicitur æquivocè. LXXIII. 3. Lucius pagin. 15. respondet, æternum æqui-
vocè dici, vel potentiâ, vel actu: *Potentiâ* & per se omnis mors est
æterna, hoc est, in æternum duraret, sive corporis sit, quæ separa-
tio animæ, ut in brutis; sive animæ, quæ desertio Dei, ut in da-
mnatis: *Actu* verò & per accidens non omnis mors est æterna,
nec corporis, ut in resuscitandis, nec animæ, ut in electis; qui-
bus præsuppositis ait p. 16. Christum subijisse mortem æternam,
non quidem actu, hoc est, semper duraturam, propter officium
mediatoris, quia mortem superare debebat: attamen subijisse
mortem potentiâ æternam, hoc est, perpetuò durabilem, quod
innuitur Heb. 2, v. 9. & 14.

AR.

ARGUMENTUM XI.

Ab iræ in Deo carentia.

LXXIV. *Christus quidem nos reconciliavit Deo, sed non viceversâ Deum nobis, quoniam Scriptura nusquam asserit, Deum nobis infensum fuisse, sed potius serio dilexisse; adeoq; irasci non potuisse.* Ostorod. p. 239. 242.

LXXV. R. Spissum hoc est mendacium, quod refutari potest ex Dei 1. Minis. 2. Factis. 3. Dictis. 4. Reasonibus. *Deum irasci ob peccata*

1. MINÆ Gen. 2, ver. 17. *Quocumq; die comederis, morte morieris.* Quale hoc effatum est, num misericordis, an verò indignantis Dei? Prius quid eret, absurdissimus foret: Pœnas enim indicare, & mortem minari, iudicis severi est, ob peccata irascentis, non propitij aut culpam dimittentis. Nisi ergò omnes minas tollere, easque minùs serias esse, sed tantùm ludicras non sine blasphemia affirmare velis, necesse erit, ut Deum ob peccata irasci, & ab alienato animo pœnas minari & infligere fatearis. Ad primam illam comminationem, quæ summa est omnium, accedunt passim aliæ, quales leguntur, Lev. 26, v. 14. quod caput qui perpendit, nec Deum ob peccata ab alienari intelligit, illum ego vel extremè cæcum, vel malitiosè incredulum pronuncia vero. Adde Psalm. 11, v. 6. *Qui diligit iniquitatem, eum odit anima Domini, Pluet ipse super peccatores laqueos, ignem & sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorû, quoniam justus est Dominus* Prov. 1, v. 14. *Quia vocavi & venistis, &c.* El. 1, v. 20. *Si nolueritis gladius devorabit vos.* E. 3, v. 11. *Vae impio in malum.* El. 5, v. 25. *Furor Domini iratus est in populû* El. 33, v. 1. *Vae qui prædatis: Nône & ipse prædaberis?* El. 65, v. 5. *isti sumus erunt in furore meo.* Jer. 14, 13. *Gladio, fame, & peste consumam eos.* Adde Matt. 11, 21. c. 23. 37. Rom. 2, 9. *Ira & indignatio, & tribulatio & angustia in animâ hominis operantis malum.* Hæc & similia perpendens, non potest non inde colligere, Deum serio irasci peccatis, & alienari à peccatoribus, quâ tales sunt, cum omnes ejusmodi minæ iram spirent, & ipse sonus etiam terreat. Colophonis loco & velut compendium omnium minarum subjicio legis illam sententiam tremendam, quæ extat Deut. 27, 26. & repetitur, Gal. 3, 10. *Maledictus omnis, qui non permiserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Hinc



ita concludo: Qui maledicit peccatoribus, non est benevolè affectus erga ipsos, quã tales, sed potius alienatus: Atqui Deus per legem maledicit omnibus peccatoribus. E. non est benevolè affectus, sed potius abalienatus. Quoniam vero parentes primi legem Dei sunt transgressi, utiq; & subjecerunt maledictioni adeo: que iram Dei attraxerunt super se & universum genus humanũ.

2. Factis.

LXXVI. 2. FACTA. Clamat ipsa experientia de indignatione & abalienatione Dei ob peccata, ut innumeris exemplis probari posset: Sed unum atq; alterum sufficiat. 1. *πρωτοπλαστων* punitio. Si Deus ab ijs abalienatus haud fuisset, cur tam severè punisset? 1. Imaginem concreatam abstulit, quam secuta est cæcitas, ignorantia, malitia. 2. Serpenti & terræ maledixit. 3. Varijs ærumnis, morbis & morti subjecit. 4. Paradiso expulit. 5. Insidijs & inimicitijs Satanæ exposuit. 6. Adeoq; lapsum illum non in solo Adamo, sed in totã posteritate persequitur. (regnat enim mors etiam in eos qui nõ peccaverunt in similitudine prævaricationis Adæ. Rom. 5, v. 14.) Ut omnes nascantur filij iræ; Eph. 2, v. 3. & æternæ damnationis rei. Hæc omnia longè gravissima supplicia annon signa sunt animi valdè irati & abalienati? Tantas enim misérias, tantã pœnarum molè à benevolo Deo proficisci, quis sanã mente præditus affirmaret? Contrarium arguit ipse timor *πρωτοπλαστων*. Quamprimum n. legem violaverant, mox fugiebant & trepidabant. Unde hoc, nisi, quia Deum esse abalienatum ipsa conscientia dictitabat? Adde dissidium illud & hostilitatẽ creaturarũ erga nos, de qua Eph. 1, v. 21. & Col. 1, v. 20. Unde hoc nisi quod earum creator, nobis factus fuerat hostis & inimicus? II. *Universale Diluviũ*, Satis vel hoc unico exemplo declaravit Dominus, quã sit alienatus à peccatoribus. Nam pœnituit Deum, quòd fecisset hominem in terra, Gen. 6, v. 6. Delebo, inquit, hominem, quẽ creavi à facie terræ, ab homine usq; ad animantia, à reptili, usq; ad volucres cæli. Pœnitet enim me fecisse eos, v. 2. Noa autem invenit gratiam, v. 8. Hic & pœnitendi vocabulum, & delendi propositum, & iræ gratiaq; oppositio luculenter edocent summam Dei indignationẽ & abalienationem, ab universo genere humano, quod ipsum liquet etiam ex executione Gen. 7, 23. & seq. Adde deflagrationem Sodomæ Gen. 19. submersionem Pharaonis Ex. 14. Expulsionẽ Ca-

na-

nanæorum *Ios. 6. & seq.* Crucifixionem Christi innocentissimi, super quem Deus omnium peccata coniecit: adeoq; percussit gravissimè. *Es. 53.* & liquidum fiet, Deum severissimè peccatoribus irasci, totiq; humano generi sic offensum fuisse, ut nullâ ratione aliâ, quàm per mortem Unigeniti reconciliatio fieri potuerit.

LXXVII. 3. DICTA. I. *Es. 59, v. 2. iniquitates vestre diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret.* Jam ubicunque fit divisio animorum, ibi certè ex utraq; parte est abalienatio; & quando facies avertitur & absconditur, animum iratum & infensum esse, certò sequitur. Atqui peccata dividunt, & faciem Dei averti faciunt. Homini ergo peccanti, succenset, & animum ab ipso alienatum habet. 2. *Psalm. 31, vers. 7. Odisti observantes vanitates supervacaneas.* *Psalm. 44, vers. 8. Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem,* *Zachar. 8, vers. 17. Vnusq; malum contra amicum suum ne cogitatis, &c.* omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus. *Sapient. 4, vers. 10. Similiter, odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Quod ipsum canonico Psaltis edicto exprimitur. *Psalm. 11, v. 6. Qui diligit iniquitatem, illum odit anima Domini.* Ex hisce dictis ira argumentor; Ubicunq; est odium, ibi non est adfectus benevolus, sine omni indignatione & abalienatione. Atqui in Deo est odium erga omnes peccatores, atque sic erga totum genus humanum, ob Adæ prævaricationem; Quare non est in Deo adfectus benevolus tantùm erga Genus humanum vel peccatores. 3. *Johan. 3, v. ult. Qui incredulus est filio, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum.* Hic & ira DEI expressè nominatur, & causa additur, nempe peccatum, nec demùm post impœnitentiam ira venire, sed manere dicitur, ad indicandum, iram Dei esse super omnem peccatorem à primâ nativitate, non autem manere, nisi super incredulos & impœnitentes. Jam concilient Photiniani hæc duo; *Iram Dei manere super incredulos,* quod dicit Apostolus, & *Deum ante impœnitentiam esse abalienatum à peccatoribus,* quod ipsi asserunt. Huc insuper referimus illud Apostoli *Rom. 1, v. 18. Revelatur ira Dei de cælo, super omnem iniquitatem.* Dicto hoc Paulus innuit, Deum universo generi humano irasci, & iratum fuisse ob peccata sicut cap. 3. ostendit fusiùs: Ista verò iram & indignationem paucos credidisse,

ideoque nunc revelari & omnibus annunciari, ne falsa persuasione de amore Dei se ipsos decipiant. Cum igitur in eadem *Quarta oratio* hæreant Photiniani, meritò ipsis tanquam **machinam** quandam opponimus hoc Apostolicum: *Revelata est ira Dei de celo super omnem iniquitatem & injustitiam hominum*, 4. Ephes. 2, v. 3. *Eramus natura filij iræ*, Ergo Deus toti humano generi succenset. Quomodo enim filius iræ dici potest à quo abalienatus non est? 5. Rom. 4, v. 15. *Lex iram operatur*. Cujus vero? Certe ipsius Dei, quippe cujus est Lex, vel cujus voluntas lege expressa est. Proinde quisquis legem violat, iram Dei incurrit, quia universaliter verum est: *Lex iram operatur*, quæ ira Dei tria impræcis complectitur. 1. aversionem peccati: 2. displicentiam personæ. 3. Ulciscendi voluntatē.

4. Rationibus.

LXXIIX. 4. **RATIONES** 1. *A Lege*. Est hæc regula voluntatis divinæ, ideoque ab illa recedere, est voluntati Dei adversari. Omnes autem peccatores ab illa recedunt. Quare omnes voluntati divinæ adversantur. Deus verò illum odit, qui adversatur sibi, & voluntatem suam floccifacit. Nam causa odij est contumacia: cum subditi non faciunt, quod ipsis facere vult princeps, succensere illis incipit, quod ipsum de DEO Regum Rege negari haut debet. Jam vero hæc se tollunt, non malè affectum esse, & tamen odisse. Cum igitur hoc posterius verum sit, ob prævaricationem legis prius istud sine *ἀντιφάσις* qui affirmare poterunt Photiniani?

2. *A judicio conscientie*. Si Deus non esset abalienatus à peccatoribus, aut iratus, unde quæso stimuli conscientie, unde timor ille & tremor, qui videtur in transgressoribus? Cur Cain ob fratricidium ita exhorruit? Annon, quia Deus ipse abalienationem suam manifestis verbis indicavit, Gen. 4, v. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: Nunc igitur maledictus eris super terram*. Nos inde sic ratiocinamur: Judicium conscientie est judicium Dei, quippe, qui discrimen istud honestorum & turpium animis nostris implantavit. Quæ igitur est sententia conscientie de peccato commisso eam veram esse & divinam dubitare minimè debemus. At verò conscientia statim accusat post culpam, Deum iratum & abalienatum esse prædicat, meras pœnas & plagas annunciat, unde oriuntur dolores & horrores in animo pec-



peccatoris. Quare hoc ipsum iudicium verum erit, tanquam ad ipso Deo, per conscientiam accusante, profectum.

3. *A Natura Dei.* Quicquid adversum est naturæ Dei, ab illo aversus est ipse Deus & benevola ejus voluntas. Atqui naturæ Dei, quæ sanctissima, adversatur peccatum omne, & propter hoc ipse peccator, illud perpetrans. Ergo & Deus, ejusq; benevolus affectus à peccato & propter hoc à peccatore aversus est.

4. *Ab absurdo.* Si Dei animus non est abalienatus à peccatoribus, tum sequitur hoc *ἀπὸ τοῦ* in conspectu Dei idem valere peccantem & non peccantem: Deum peccata non abominari aut detestari: Deum homines amare, quomodocunq; se habeant, si ve peccent, si ve à peccatis abstineant, &c. Deum pariter affectum esse erga justitiam & injustitiam; non odisse id, quod naturæ ejus inimicum est; sententiam legis maledicentis fulmen è pelvi & inane terculamentum esse, siquidem Deus serio nunquam succenseat peccatoribus, nec ab ipsis aversum animum gerat. Quis verò pius, imò quis sanè mente præditus admitteret hæc portenta & monstra, quibus nomen Dei tollitur, lex irridetur, minarum vis & valor omnis labefactatur?

5. *Areconciliatione,* Christus nos Deo reconciliavit. At verò reconciliare nihil est aliud, quam in gratiam reducere. Cùm ergo Christus Deo nos reconciliando in gratiam reduxerit, vel gratiam restituerit, utiq; illa prius amissa, & sic Deus à nobis abalienatus fuit. Quod enim nunquam est amissum, illius restitutione opus non est. Quare si Deus nunquam infensus nobis fuit reconciliatione vel reductione in gratiam opus non fuit. Frustra igitur Christus est mortuus. Aut certè illa reconciliatio sic describeretur, ut non sit reconciliatio.

6. *Eph. 1, v. 6.* dicitur *ἐχαρίτωσεν* gratos seu acceptos nos sibi reddidit in dilecto. Antequam igitur hic dilectus pro nobis satisfacisset, accepti gratiq; non fuimus. Si non accepti, utiq; à nobis abalienatum animum Deus habuit.

7. *Romanor. 8, capit. vers. 32.* *DEVS proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit.* Non parcere & ne quidem proprio filio, animi indignantis, & peccata vindicantis est. Qui enim sic irascitur, ut satisfactionem urgeat, ille dicitur

non

non parcere: Qui autem benevolè semper affectus, de illo idem affirmari sine absurditate nequit. Illi enim parcitur, qui pœnam quandam sustinere debet, sive pro se, sive pro alio. Quia igitur Deus Filio non pepercit, Ergo iratus fuit, adeoq; ille pœnam nostri loco sustinere debuit.

*Exceptiones Photinia-
morum.* LXXI. Verùm exceptiones aliquot proponuntur, quas examinare non erit operæ dispendium. 1. *Nunquam in Scripturis dicitur, Deum nobis, sed semper nos Deo reconciliatos esse.*

Deus nobis reconciliatus est per Christum. Respond. 1. Quantumvis non hæc verba, verborum tamen sensus in Scripturis extat. Nam 1. si Deus nobis iratus, & à nobis abalienatus fuit, uti fuisse modò probavimus, & verò per Christum omnia reconciliata sunt in cœlis & terris, quod dicitur *Coloss. 1, vers. 20, Ephes. 1, vers. 10.* Utique & Deus ipse nobis per mortem Christi vicissim reconciliatus est. Aliàs non omnia forent pacificata. Quamvis igitur Apostolus *Coloss. 1.* agat de dissidio inter Judæos & gentes *Ephes. 2.* inter homines & angelos, tamen ab inclusiva non est protinus argumentandum ad exclusivam, vel negationem dissidij inter Deum & homines, præsertim cum habeatur terminus universalis, qui cur restringatur, nulla ex textu necessitatis ratio afferri potest. 2. Paulus disertè scribit *Ephes. 2, vers. 16. Christum utrosq; (Judæos & gentes) in uno corpore reconciliasse per omnia Deo peremptis inimicitijs per eum.* Dicimur hîc reconciliari ipsi Deo & quidem per sanguinem Christi, cujus effusio non requirebatur principaliter hoc fine, ut inimicitia inter Judæos & gentes tolleretur, sed ut sublato peccato, quod inter nos & Deum dividit *Isa. 59, vers. 2.* homines Deo reconciliarentur & Deus hominibus. Hæc enim relata sunt, & unum non tollit, sed ponit alterum. Si nos Deo utique & Deus nobis reconciliatus est; Omnis enim reconciliatio est inter duos, quorum alter lædens, alter læsus est. Nos Deum læseramus, ipse pars læsa fuit, ideoque reconciliationem reciprocam esse oportet. 3. Referri huc debent omnes illi textus, qui loquuntur de imputatione peccati, quod in Christum iniquitates nostræ conjectæ sint, *Isa. 53.* quòd factus fuerit maledictum pro nobis *Galat. 3.* peccatum *2. Cor. 5.* Et precium redemptionis dederit, *1. Timoth. 2.* & intercedente morte

te nos expiaverit *Heb. 9.* Hæc enim omnia DEUM iratum & non nisi per mortem Filij sui nobis reconciliatum fuisse indicant. Qui enim solvitur precium redemptivum, qui propter aliena peccata aliquem percutit & legis maledictioni subicit, ut alij liberentur, ille certè hoc ipso revera reconciliatur iis, propter quos precium datur, & qui per illud λύτρον redimuntur. Imprimis huic referri debet classicus iste locus *Rom. 3. vers. 24. 25. justificati gratis ipsius gratia per redemptionem factam in Christo, quem proposuit Deus ἰλασθῆναι placamentum per fidem in sanguine ipsius.* Quæro hîc, quid CHRISTUS placaverit? non certè nos ipsos quoniam eramus pars lædens, nec CHRISTUS ideò missus, ut nostram DEO gratiam, quâ minimè eguit, conciliaret. Jam quia inter nos & DEUM non datur tertium, sequitur unique, quod CHRISTUS respectu DEI placamentum dicatur, adeoque patiendo iram ejus placaverit, & sic ipsum nobis reconciliaverit.

LII. Quòd Scriptura sæpius nos Deo reconciliatos dicit, non DEUM nobis, hoc ideò fit 1. quòd nos eramus pars offendens & lædens, Deus autem pars offensa & læsa. Nos in culpa, Deus extra culpam erat. Nobis aliquid, Deo nihil accessit. Nos reconciliatione indigebamus, non Deus. Quia igitur passio Christi in nostrum vergebat commodum, & nostri loco satisfactum fuit, hinc Scriptura stylum, ita plerunque informat, ut nos Deo reconciliatos dicat, ad innuendum passionis fructum & salutare commodum. 2. Adde quòd pars lædens prius & quidem potissimum reconciliari debet parti læsæ, quæ postmodum offensa facilius condonat. 3. Alij hanc addunt causam, nos admoneri nostri officij, ne pergamus odisse Deum, sed vivamus tanquam verè Deo reconciliati non per peccatum etiamnum abalienati. Interim tamen simul innuitur, Deum etiam nobis reconciliatum esse, cum omnis vera reconciliatio sit reciproca inter partes dissidentes & divisas, quæ vicissim fœdus ineunt & invicem se acceptant, sicut etiam expressè dicitur apud Prophetam *Esa. 59. v. 2.* peccatum dividere inter nos & Deum, h. e. utramq; partem facere dissidentem & alteram ab altera diversum. Cum igitur fit reconciliatio, est utique illa reciproca; ut Deus divisus nobis ab ipso divisus, & contra

Cur nos Deo reconciliati sæpius dicamur.

H

recon-

reconcilietur. Nam omnia relata convertuntur, & *ἑστὶς* quævis est reciproca. Jam verò reconciliatio est relatio. Quare mutuum respectum habet ad utramque partem, quæ reconciliatur. Nec enim tantum respicit reconcilians & reconciliatum partem unam, sed etiam alteram, quæ se habent ut lædens & læsus. Nam omnis reconciliatio præsupponit offensionem. Ubi hæc non est, ibi nec illa requiritur. Quoniam ergo homines indigebant reconciliatione, præcedebat utique offensio, & per consequens DEUS ipse, qui offensus erat nobis, per CHRISTUM reconciliatus est. Confirmat hanc reciprocationem vox græca *καταλλαγή* 2. Cor. 5. v. 18. & verbum *καταλλάττω* Rom. 5. v. 10. 2. Cor. 5. v. 19. *καταλλαγή* enim significat ejusmodi reconciliationem, quæ est quasi commutatio quædam, quâ quis quasi alius fit (unde & ab *ἀλλά* derivatur) non sui sed alterius respectu, uti loquitur Dn. D. Graverus in disp. de merito CHRISTI p. 183. Pari modo in nostra reconciliatione quædam commutatio contigit, quâ nos ex filiis iræ facti sumus filij gratiæ, & DEUS antè nobis iratus, factus est DEUS placatus & propitius per CHRISTUM, qui ob id propitiatio pro peccatis nostris dicitur 1. Ioh. 2. v. 2.

LXXX. II. DEVS ipse nos per CHRISTVM reconciliavit sibi, quæ propter nobis non succensuit, sed multò magis dilexit. Hostem enim esse & diligere vel sibi reconciliare sunt contraria. Ostor. p. 239. 240. 242. Catech. Racov. p. 274.

Duo concurrunt, in redemptionis opera.

R. I. N. C. Licet enim DEUS nos sibi reconciliavit, factum tamen hoc est per mortem CHRISTI, tanquam precium redemptionis. Illud prius misericordiam, hoc posterius justitiam DEI indicat. Utrumque innuitur 2. Cor. 5. Postquam enim Apostolus dixerat v. 18. Deum nos sibi reconciliasse per Christum, mox subjungit vers. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum, ubi modus nostræ reconciliationis haut obscure ostenditur, nimirum quod DEUS omnia peccata nostra in CHRISTUM conjecerit, & hac ratione iterum placatus sit. Proinde concurrunt in hoc redemptionis opere utrumque. I. Charitas, quam commendavit Deus Rom. 5. v. 8, dum proprio filio non pepercit, Rom. 8. v. 32, & per illum.

lum nos sibi ipsi reconciliavit 2. Corinth. 5. v. 18. 2. iustitia quatenus
Filium DEI pro nobis in mortem execrabilem tradi necessarium
fuit, ut ita poenas nostras lueret & cum DEO reconciliaret.

2. Unde mox & illud fit liquidum, contraria non esse, aliquem
odisse & diligere, si nimirum diverso id respectu fiat. Dilexit nos
DEUS, 1. ut creaturas suas. 2. miserè deceptas. 3. de quarum
reconciliatione iniit consilium. Odit nos DEUS, 1. ut peccato-
res & legis suæ transgressores. 2. ob minarum infallibilitatem,
3. qua de causa Filium suum execrationem & peccatum fecit.
Prius misericordiae, posterus iustitiae fuit; dilexit ut benevolus
Creator, odit ut justus iudex. Nam in homine, duo consideran-
da sunt, 1. substantia & 2. substantiae corruptio. Quoad substan-
tiam homo est opus DEI, & sic diligitur per misericordiam, nihil
enim DEUS odit eorum, quæ fecit Sap. 11, 25. Quoad corruptio-
nem est servus Diaboli, & sic odio habetur per iustitiam. Jam ve-
rò sicut DEI iustitia non tollit misericordiam, & vicissim. Sic odi-
um erga nos, ut peccatores, ex iustitia profectum, non tollit amo-
rem erga nos, ut homines, à misericordia dependentem, præser-
tim cum Scriptura utrumq; affirmet, tum Deum ob peccata à no-
bis divisum & abalienatum esse, Esa. 59, v. 2. tum totum mundum
dilexisse, ut daret Filium, Iohan. 3. Declarari hæc possunt exemplo
Davidis, qui Absolonem diligebat ut Filium, odio prosequeretur
ut hostem. Sic pater offensus filij petulantia, diligit filium ut filium,
eidem irascitur & ferulam infligit ut petulanti. Similiter Deus ut
justus iudex succenset nobis ut peccatoribus, & interim ut mise-
ricors pater, diligit nos generaliter, tanquam creaturas suas, ad i-
maginem ipsius creatas. Proinde ut perfecta esset dilectio, quæ
nos diligere specialiter, tanquam sibi gratos & acceptos, recon-
ciliatione opus fuit, ut ita iustitiae satisfaceret, nec veritas Dei la-
befactaretur. Cùm igitur de CHRISTO dicitur, quòd DEO nos
reconciliaverit, non ita hoc accipiendum est, quòd Deus de novo
prorsus nos amare inceperit, quasi antea nullo respectu amave-
rit, sed quia per passionem CHRISTI sublata est odii causa.

LXXXI. 3. Deus ad iram tardus esse dicitur. Ergo non statim succensuit
generi humano ob lapsum Adæ.

Deus nos o-
dit & dile-
xit diverso
respectu.

Quomodo
Deus ad
iram tardus
sit?

Ira duplici-
ter dicitur.

Resp. 1. Tarditas illa non denotat omnimodam iræ carentiam, sed lentam pœnæ immisionem. Aliud autem est *ipsa ira Dei*, quæ notat ab alienationem animi: & aliud est *pœna*, quam Deus pro arbitrato, nunc citius nunc tardius imponit. 2. Alij distinguunt inter *sententiam & executionem*, *Sententia Dei* certa est, quòd peccatores habeat odio & maledictioni subjiciat. Sed *executio* nonnunquam protrahitur, ut vel illi ad pœnitentiam invitentur, vel si hoc negligant, majoribus suppliciis afficiantur. Quare licet Deus peccata non statim puniat, hinc tamen minime sequitur, quòd non succenseat. Magistratus etiam differre potest supplicium & executionem, interim nil decedit iræ ejus & justæ indignationi. 3. Nonnulli dicunt esse fallaciam *ὀμωυυίας* in vocabulo *ira*. Nam vel notat ipsam ultionem & pœnam, quæ actu infligitur, ut Matth. 3. v. 7. *Quis vobis monstravit, ut fugeretis à ventura ira*: Sic etiam sumitur Rom. 2. v. 5. 1. *Thess. 1. v. 10.* vel justam Dei indignationem adversus peccata & peccatores, quam pœna tandem insequitur, ut Joh. 3. v. ult. *Qui non credit filio, super ipsum manet ira Dei.* Psal. 6. v. 2. *Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripas me.* Quo ipso etiam sensu dicimur iræ filij Eph. 2. v. 3. hoc est, tales, quibus Deus actu ipso irascitur, non secus ac gratiæ filij nominantur, qui actu ipso Deo sunt grati & accepti. Jam ut hoc applicetur ad argumentum cum Deus ad iram tardus dicitur, vox hæc in *priori*, non *posteriori* significatu accipitur. Non autem inde sequitur, Deum peccata non odisse, aut peccatoribus non indignari. Significatio enim una non tollit alteram: Licet tardus sit ad pœnam, semper tamen odio habet impium & impietatem. Licet non statim sequatur effectus, adest nihilominus affectus, quem tamen Deo non nisi *ἀνθωποπιε* *ἰως* tribuimus.

LXXXII. IV. *Si re: conciliare idem est, quod in gratiam reducere, & nos qui reconciliati, in gratiam DEI reducti sumus, sequitur vicissim, cum reconciliatio omnis statuatur reciproca, & Deum in nostram gratiam reductum esse, quod absurdum.*

Resp. 2. Reconciliatio est quidem gratiæ reductio, sed non utriusque, verum offensæ partis tantum respectu. Quamvis enim utrumque relatum attineat & respiciat reconciliatio, tanquam partes

partes' dissidentes, attamen lædens duntaxat propriè dicitur, re-
duci in gratiam læsi seu offensi. Nam ipsa reconciliatio est qui-
dem reciproca, sed non offensio, ideoque nec gratiæ reductio, &
per consequens solus offensus, condonatis injuriis, suam iterum
benevolentiam pollicetur lædenti. Jam ut hoc ad nostram cum
Deo reconciliationem applicetur, extra dubium est, per peccata
graviter offensum fuisse Deum, qui nobis benefecerat, nulloque
pacto nos læserat. Ut autem offensa illa placaretur, Christus
nos Deo offenso reconciliavit. *Rom. 5. vers. 10. peccatis deletis Dan.*
9. vers. 2. & expiatis Heb. 2, 13. 1. Iohan. 2. v. 2. Unde ultrò sequi-
tur, Dei tantum gratiam nobis reductam esse, non contrà. Inte-
rim manet reconciliationis reciprocatio salva, Nam Christus nos
Deo Reconciliavit, quatenus remotâ offensionis causâ in gratiam
Dei nos reduxit. Et vicissim, Deum nobis reconciliavit, quatenus Dei
benevolentiam specialem, per peccata amissam, sanguine suo re-
stituit & recuperavit.

LXXXIII. V. Reconciliatio per CHRISTVM facta non est DEÏ
erga nos placatio, sed nostri erga illum conversio, quia CHRISTVS à DEO
jam placato ad nos, qui adhuc illius inimici eramus, sibi reconciliandos missus
est, Socinus p. 55. 57.

Resp. 1. Glossam audio sine ratione, sine Scripturâ, cui hæc
exceptio directè contradicit, ut suprâ ostensum. 2. Si Christus
Deum placatum annunciavit, quis eum placavit? Nam omnis
placatio præsupponit indignationem. Quare si Deus verè placatus
est; prius infensum nobis fuisse oportet. Si ergo placatus est,
utique vel per nostram, vel per alienam satisfactionem placatus
fuit. Eligant Photiniani & disertè respondeant. 3. Modus pla-
cationis falsus fingitur, nempe quòd pro peccatis non satisfac-
tum sit, sed DEUS peccata largiter condonet, sicut innui Socinus
putat *2. Corinth. 5. vers. 19. Non imputans eis peccata. Sed quæro, cur
non imputet, cum tanquam justus iudex imputare debeat?* Nulla hîc alia
nominari potest causa, quàm quia CHRISTUS suo sanguine illa
expiavit, *Matth. 20. vers. 28. suam animam λύτρον pro iis obtulit,*
1. Timoth. 2. vers. 6. & sic satisfecit, unde & CHRISTUS nostri loco
H 3 dicitur

dicitur peccatum factus, ut nos efficeremur iustitia DEI in ipso
 2. Cor. 5. 21. Ubi vana est Socini exceptio, Christum dici peccatum, quia
 pro peccatore sit habitus. Nam 1. si ita fingere liceat, omnia Scripturæ
 dicta de humanitate CHRISTI eludam, nempe quicquid dicitur,
 hoc omne putativè & κατὰ δόξαν non verè & κατ' ἀλήθειαν
 dici, quam instantiam probè notari velim. 2. Paulus seipsum ex-
 plicat, CHRISTUM dici peccatum, quia sit hostia vel piaculum
 pro peccatis Eph. 5. v. 2. Heb. 9. v. 26. c. 10. v. 12. licet id neget Socinus.
 3. Cur Christus habebatur pro peccatore? Annon quia nostra
 ipsi peccata imputabantur, & à Deo Patre in ipsum conjicieban-
 tur Esa. 53. v. 8. non secus atq; sacrificiis Mosaicis delicta populi im-
 ponebantur, quatenus pro iis ad expiandum offerebantur. Jam
 quod in typo præfiguratum, hoc in antitypo Christo impletum
 sit oportet.

LXXXIV. VI. Apostoli dicuntur ministri reconciliationis 2. Cor. 5. v. 19.
 Qui hoc fieri potest, si illa in Christi merito tota residet? Imò si per Christum re-
 conciliati sumus, cur Apostolus inquit: Rogamus, reconciliemini Deo? Socinus
 ibidem.

Aliud est re-
 conciliatio-
 nis acquisi-
 tio, & aliud
 est applica-
 tio.

Resp. Distinguendum est inter reconciliationis acquisitionem &
 acquisitionem applicationem. Christus quidem nos Patri reconciliavit,
 acquirendo gratiam: nos tamen insuper reconciliari debemus,
 acquisitionem gratiam per fidem apprehendendo, cujus fidei verbum
 cum annunciant præcones, hinc rectè dicuntur ministri recon-
 ciliationis, nempe non eam efficiendo, sed nobis prædicando.
 Ut si donum porrigitur, non fit meum, nisi manum extendam:
 Et qui ad extendendū me hortatur, ille minister acceptionis nun-
 cupari potest. Notetur autem hic impietas & blasphemia Socini,
 dum scribere non exhorruit, Apostolos equè ministros fuisse reconcilia-
 tionis, ut Christum. Cur ergo hic est mortuus? cur noster reconcilia-
 tor, noster pacificator & mediator dicitur? cur Apostolus ad Heb.
 pronunciat, ipsum solum esse summum Pontificem, qui oblatione sui
 sanguinis facta nos à peccatis & damnatione redemerit? Liqueat
 hinc, Socinum, & asseclas non altius de Christo sentire, quam de
 Prophetis & Apostolis, quamvis discrimen secundum magis &
 minus concedant. Annon verò hoc blasphemum & universæ Scri-
 pturæ sit extremè contrarium, omnes pij & cordati judicent?

ARGU.

ARGUMENTUM XII.

A Dei gloria & omnipotentia.

LXXXV. *Quodcunq; dogma gloriam & omnipotentiam DEI obscurat, dictu impium & blasphemum est. Sed dogma de satisfactione DEI gloriam & omnipotentiam obscurat. E. dictu impium & blasphemum est.*

Minor probatur, quia DEVS peccata nostra sine satisfactione remittere vel noluit, quod contra gloriam misericordiae; vel non potuit; quod contra gloriam omnipotentiae. Ostorod. c. 36. part. 3. pag. 300. Socinus part. 3. c. 1. pag. 221. & 309. Argumentum hoc Gittichius ita proponit pag. 30. Peccata nostra nihil aliud sunt, quam offensae majestatis divinae. Offensas autem suas vel vilissimus quisque homuncio non modo sine violatione justitiae, sed etiam cum maxima laude patientiae, misericordiae, bonitatis, &c. alteri condonare potest. Ergo etiam idem multo magis, DEUS sine ulla satisfactione nobis remittere peccata nostra poterat: aut, si non poterat propter imaginariam justitiam, ad quam ipsum patroni hujus dogmatis adstringunt, minus potest, quam vel vilissimus homuncio.

LXXXVI. Respond. I. Per inversionem. DEI gloria multo magis obscuratur, si dogma satisfactionis negatur. Nam transgressiones ferre, ad eas connivere, per eas nullo modo abalienari, indicium est judicis vel negligentis, si ex incuria permittat, vel iniqui si volens connivat. At vero DEUS non est DEUS volens iniquitatem Psal. 5. vers. 5. odit operantes iniquitatem & perdit loquentes mendacium vers. 7. Ira ejus tanta est ut nemo hominum eam perferre possit Ps. 39. v. 1. & seq. Quare Filius Dei nostram miseratus miseriam e Sion nobis venit auxilium Mich. 4. 7. & seipsum dedit redemptionis precium 1. Tim. 2. v. 6. fructus pecca-

Dei gloria
obscuratur
si satisfactio
Christi ne-
gatur.

tum.

tyum, ut nos efficeremur justitia in ipso 2. Cor. 5. v. ult. Quo pacto
DEI gloria non obfuscat, sed alius evehitur, dum tanta ejus est
majestas, ut eam læsam non nisi unigenitus filius placare po-
tuerit.

Ex opinione
Photiniano-
rū sequitur;
Deum debe-
re omnes
homines
salvare.

LXXXVII. 2. Per Instantiam. Si ab hominibus privatis ad
DEUM mundi judicem argumentari liceat, eodem modo inferam,
DEUM, aut immisericordem, aut impotentem esse, si non quof-
vis peccatores & homines æternū salvet. Quæro enim, Cur Deus
peccatores impœnitentes damnat, nec æternā beatitudine donat? Aut non
potest culpam dimittere, & sic homuncione est impotentior.
Qui vis enim homo offensas alteri offendenti, ut maximè hic re-
conciliari nolit, culpam tamen dimittere & illi beneficia exhibe-
re potest. Imò hoc à DEO jussi sumus facere, ut inimicis etiam
& nostris hostibus beneficiamus, Matth. 5, 44. Rom. 12. v. 20. 21. Si i-
gitur homo potest culpam lædenti omni, etiam præfracto remit-
tere, & quantum in viribus ejus est, benefacere, utiq; si Deus hoc
non poterit, vilissimo homuncione impotentior erit. Imò cum
DEUS ad exemplum nobis hoc in ipso casu proponatur Matth. 5. v.
44. 45. cadet illa imitandi ratio, si statuatur, nos debere & posse
inimicos diligere, & tamen negetur, DEUM posse inimicos suos
nimirum impœnitentes diligere, iisque æternum benefacere.
Semper igitur hoc urgebo: Si Deus contumaces salvare non pot-
est, impotens erit, & nos malè à DEI exemplo ad benefaciendum
inimicis omnibus admonemur. Quòd si dicant, Deum posse quidem
omnes homines, etiam impœnitentes salvare, sed non velle. Resp. 1. hoc Apo-
stolo directè opponi, qui c. 6. ad Hebr. v. 4. inquit: Impossibile est eos, qui
semel sunt illuminati &c. rursus renovari ad pœnitentiā, & c. 10. 26. volan-
tariè peccantibus nobis post acceptam justitiā: veritatis jam non relinquitur pro
peccatis hostia, sed terribilis quedam expectatio judicij, &c. 2. Sequetur
absurdum illud alterum, Deum non esse misericordem, nec summè bonum
aut benevolum. Si enim potest omnes homines salvare, & ex solo
voluntatis beneplacito hoc omittitur, tum certè malevolus est,
non misericorditer affectus erga genus humanum. Proinde urge-
bo Photinianos hoc dilemmate, ut directè respondeant: DEUS
omnes homines salvare aut non potest, & sic tollitur gloria omnipotentia:
aut.

aut non vult, & sic tollitur gloria misericordia. Quicquid dixerint, sibi vicissim responsionis loco habeant.

XXCIX. 3. Per deductionem ad absurdum. Si Deus sine omni satisfactione culpam dimittere debeat, tam potentia ejus quidem astrui videtur, sed justitia negatur, quod ἀτοπον. Judicis enim justus nequaquam est, si cum pro sua potestate facinorosum & capitaliter puniendum dimittere possit, statim impunitum dimittat. Non prædicatur hoc factum tanquam eximium, sed vituperatur ut iniquum, & regulis justitiæ contrarium. Idem crimen suis hypothesebus Deo impingunt Phoriniani, qui propterea nosse debeant, Deum non tantum omnipotentem, sed etiam justum esse. Quicquid ergo Dei potentiam sic adstruit, ut ejus justitiam destruat, hoc ipsum non ad gloriam: sed potius ad ignominiam Dei vergit. Imò non tantum ejus justitia, sed & veritas & zelus ob peccata penitus negantur. Nihil enim valebunt istæ minæ: *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus*, Deut. 27, vers. ult. *Mihi vindictam, ego retribuam* Rom. 12, v. 19. *Deut. 32, vers. 35. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* Jer. 48, II. 9. 10.

Si satisfactio negatur justitia Dei tollitur.

XXCIX. 4. Argumentum hoc ex cæcæ rationis judicio depromptum, & revelato verbo contrarium est. Ibi enim dicitur, quod Deus sit omnipotens, nec tamen culpam omnibus, aut sine λύτρωσιν remittat. Habemus enim remissionem peccatorum, non nisi per sanguinem Christi qui se obtulit hostiam pro peccatis nostris. Quare notandus hic est canon Theologicus: *Quid Deus circa salutem nostram faciat non ex rationibus de possibili colligendum, sed ex solis Scripturis addiscendum est.* In illis reperio utrumque, tum Deum omnipotentem; tum nobis infensum & non nisi per Christum placatum esse. Malè igitur opponuntur subordinata cum Christi meritum Dei gloriam & potentiam non tollat, sed potius illustret atq; amplificet.

Regula de negotio salutis.

XC. 5. Per insciationem Minoris, quod dogma satisfactionis impugnet gloriam Dei. Quod verò concernit dilemma probatorium: *Aut non potuit, aut non voluit sine satisfactione culpam dimittere.* Respond. Utrumque sano sensu concedi potest. I Nam

I

po-

Deus non potuit nos in gratiam recipere sine satisfactione. potuit respectu. 1. suæ nature. 2. suæ justitiæ. 3. suæ veritatis. 1. Natura Dei est rectissima, cui peccatum omne diametraliter adversatur. Si ergo peccatori non succenseret, sed illum post culpam non minus diligeret ac ante culpam, tum utiq; naturam suam tolleret, sibiq; ipsi contradiceret. 2. Justitia Dei est immutabilis, quæ poenas postulat ab omni legis prævaricatore, vi cuius peccatores puniendi sunt, non impunè dimittendi. Ut ergo suam DEUS justitiam negare, ita sine placatione & satisfactione culpam delinquentibus condonare non potest. Hoc pertinent dicta Rom. 1, v. 32. δικαιώματα θεῶν. Ius Dei esse quod peccatores digni sint morte. 2. Thess. 1, v. 6. Iustum esse ἀποδοῦναι retribuere mala malis. 3. DEUS verax, imò ipsa est veritas. Dixit autem Genes. 2, vers. 17. Quacumq; die comederis, morte morieris. & Deut. 27, v. ult. Maledictus, qui non permanserit, &c. Quam primum igitur homines delinquant, per peccatum infallibiliter mortis rei fiunt, & maledictioni legis subjacent, ac proinde DEUM habent sibi iratum, quem placari & reconciliari omninò opus est, si salvari & gratiâ ejus frui voluerint. Quòd si verò Deus non irasceretur peccatoribus, tum isti non forent maledicti, non mortis rei. Periret ergo legis sententia, & concideret omnis DEI veritas. Hæc sunt illa fundamenta, cur DEUS omnipotens sine placatione culpam condonare nequeat. Quo ipso nihil decessit ejus omnipotentia; sicuti nec per illud, quando dicitur, ipsum mori aut peccare non posse. Nam omnipotentia divina objectum non est res quævis, sed illa tantum, quæ Dei naturæ & voluntati non contrariatur. Cætera omnia impotentiam magis arguunt, quàm δυνάμει. Quare cum DEI natura tollatur, si peccata sine indignatione omni mox dimittat, idcirco dogma de satisfactione DEI potius omnipotentiam declarat, quàm ut impotentiam arguat. Non potuit DEVS absq; satisfactione salvare, non propter defectum potentia, sed propter perfectionem naturæ; Secus enim fieret, DEVS suam naturam conservare non posset, quod maximè impotentis argumentum est. Responsionem hanc confirmo expresso Apostoli aphorismo, qui legitur Hebr. 9, v. 23. Sine sanguinis effusione non fit remissio, ἀνάγκη γάρ; Necesse est ergo exemplaria quadam celestium
bis

his mundari, ipsa autem caelestia melioribus hostis quam istis. Si verò DEVS ex sola gratia, pro jure suo absoluto, potest remittere peccata, dent Photiniani rationem, cur absque sanguinis effusione non possit fieri peccatorum remissio? Spectat huc dictum Athanasij, quod legitur in orat. de incarn. verbi tom. 1. p. 42. Quid quæso aliud decuit fieri, aut cujus opera ad recuperandam istam gratiam requirebatur, nisi solius Verbi, quod ab initio omnia ex nihilo considerat? Ejus enim fuit id, quod corruptibile erat iterum ad incorruptibilitatem reducere, & id, quod æquum rationiq; consentaneum erat, Patri præstare. Cùm enim Patris sit verbum & supra omnes, meritò etiam solus omnia recuperare potuit & idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, & apud Patrem intercederet.

Atque sic ostensum hætenus, cur DEVS non potuerit sine detrimento suæ omnipotentia peccatores benevolò tantùm, sine indignatione affectu complecti, aut culpam protinus sine omni satisfactione dimittere. In quam quidem disputationem ut cum adversariis descendamus, non adeò necessarium est: quia inquiritur in rationes consilij divini, quod fieri non debebat. Sufficit nobis divina voluntatis revelatio, in verbo facta, ubi se ita declaravit, absque precio & intercedente Filii merito se nolle peccatum dimittere quoniam istud odio habeat, & propter istud peccatoribus succenseat. Credamus igitur, rem ita se habere, nec quicquam laudi omnipotentia divina decedere, quoniam utrumque Scriptura affirmant, licet nos omnium consiliorum DEI causas reddere nequeamus. Miranda potius & grato animo hæc prædicanda sunt, quàm scrupulosius, rimanda, aut curiosius discutienda.

Quod jam alterum dilemmatis membrum concernit, *Deus non vobenter concedimus, Deum sine præcedente reconciliatione peccata dimittit sine satisfactione noluisse.* Et hic est quartus respectus, cur non possit. Quia enim *factione re-* Deus non vult delinquentes in gratiam recipere, hinc ex *con-* *conciari.* *quanti hoc non potest, nisi invitus agat, suæq; voluntati & veritati contrà eat, quod dictu & cogitatu est impium.* Non autè velle Deum, probant omnes Scripturae, de satisfactione & legis maledictione loquentes. Quia vero omnes prævaricatores vult actu post peccatum maledictos esse, utiq; iis non potest non indignari: Et quoniam hæc ira placanda est ante culpæ dimissionem, ab ho-

mine verò placari non potuit, hinc proprio filio suo non percipit, sed eum pro nobis tradidit Rom. 8, v. 32. ut divinæ justitiæ satisfieret. Refertur huc debet aliud Athanasii dictum p. 41. Absurdum, inquit, Deum in suis verbis mentiri, si (cùm lege statuisset, morte moriturum hominem, quandocunq; mandatum prævaricaretur,) mortem tamen post prævaricationem effugeret, nec verbis illis adstringeretur. Non enim verus Deus fuisset si (cùm lege dixisset nos perituros) non perissemus. Psal. 42. Absurdum quippe erat, ob nostram utilitatem perdurationemq; Deum veritatis patrem mendacem videri. Adde Augustinum libr. de agone Christi: Omnia Deus poterat, si voluisset: Noluit autem, idq; iusta de causa; etiam si nobis ignota est & incomprehensibilis, sed etsi aliter faceret, aequè tamen stultitiæ vestræ discipleret. Vicissim serm. 3. de Annunc. Dom. Sic voluit ruinam fragilis vasis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia iustus est: nec insanabile, quia est misericors. Potuit aliter fieri, quantum ad potentiam Medici (quod intelligi debet de alio satisfactionis modo, non de exclusâ penitus satisfactione) sed non potuit commodius aut doctius preparari, ut esset medicina aegroti & quantum ad justitiam Dei.

XCI. 6. Quod concernit similitudinem hominis offensi & sine satisfactione ignoscentis, dico, non nimis eam esse extendendam, Deus etiam gratis dimittit κατὰ τὴν respectu nostri, à quibus nil ultra exigit, non ἀπλῶς respectu Christi, cui parcere noluit uti supra in solut. arg. 7. fusiùs ostensum est. Aliàs si hominum exemplum urgeas, sequeretur Deum aut impotentem immisericordem esse, aut omnibus etiam impœnitentibus culpam dimittere posse & debere, sicut homines cuiusvis inimico, siue reconciliationem perat, siue non, ignoscere & benefacere debent. Quod cùm sit falsum & dictu de Deo impium, agnoscant hic Photiniani dissimilitudinem, ut quod circa offensæ dimissionem homo potest istud Deus non possit. Nec tamen hinc sequitur, impotentem illum esse, aut minus posse, quàm homines: quia istud facere Dei respectu impotentia est, non δυνάμειος, siquidem tùm destrueret, nec conservare posset naturam suam, prout eam in verbo revelavit. Sicut ego ex aliis, quæ DEUS non potest, si ista Dei naturæ inimica sint, non aliqua ejus ἀδυναμία, sed potius contrà potestas & gloria colligi debet: Ita quoque de nostro casu,
& sa-

& salutis negotio, satisfactionem necessariò includente, cogitandum est.

XCH. 7. Tandem ne quidem respectu hominum universaliter verum est, quod culpam offensamq; omnem sine omni pœna reo dimittere possint aut debeant: Nam distinguendum est inter *personam privatam & publicam*, seu magistratum. Privatus non debet semetipsum ulcisci, quia ipse in multis labitur; & Deo obedire tenetur. Magistratus autem, qui Dei minister est ad vindictam, non potest salvâ justitiâ & Dei voluntate, reum absque pœna & satisfactione dimittere. Est enim judex loco Dei ordinatus, ut justitiâ administret. Quare si impunitos dimittat reos, factum hoc culpatur ut iniquum *Proverb. 17, vers. 15.* tantum abest, ut patientiæ bonitatis aut clementiæ laudem mereatur. Jam verò, quoniam DEUS non est nobis æqualis aut privato alicui similis, sed potius persona maximè publica, quippe judex universi terrarum orbis, hinc & ipse justitiâ salvâ non vult, non potest peccatoribus quâ tales manent, sine omni indignatione favere, aut ipsos impunitos sine satisfactione dimittere. Quod enim fieri non vult, in judiciis humanis inferioribus, qui fieri vellent, in judicio suo summo, cum si ibi violatur justitiâ & lex Dei, multò magis hic impugnari consequatur? Proinde vicissim invertimus argumentum hoc modo: Si nullus judex reum impunè potest dimittere, salvâ justitiâ, sine læsione voluntatis divinæ, utique nec Deus universi mundi judex, vel volet vel poterit dimittere, nisi ipsum sibi suæque voluntati & naturæ, quæ cum voluntate convertitur, contrariari, cum insigni blasphemia affirmare quis voluerit.

*Non semper
culpa dimitti
potest absque
satisfactione.*

XCH. Elumbis verò est exceptio *Gittichij p. 75. omnia peccata nostra esse contra Deum tanquam contra privatum juxta illud Psalm. 51, v. 3. Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* Aliud enim est in DEUM dontaxat peccatum committere, & aliud, Deum privatum esse. Hoc posterius ex priori non sequitur, nisi negare velis; Deum esse judicem totius mundi, id quod non privati est, sed Domini & magistratus summi. Quod addit de discrimine inter Deum & principem, qui ad leges sit adstrictus, nihil

An Deus po-
tuerit etiam
salutis viam
invenire?

hil ad nos. Quamvis enim **DEVS** non habeat se superiorem, qui leges præscribat, sibi ipsi tamen ex lex, quam violare tam non potest, ut nec naturam suam, nec terreni principes legem præscrip-
tam.

XCIV. Tandem, si aliquis morosè pergat, quærendo, *Annon potuerit Deus aliam salutis viam incruentam invenire?*

R. 1. Tales quæstiones sunt iudicium curiosæ rationis, quæ compescenda, non sibi permittenda est. 2. Cui bono hoc quæritur? Quid accedet nostræ ædificationi? Agnoscamus & prædicemus factam redemptionem, non disputemus de facienda alia, & faciendi modo. 3. *August. l. 13. de Trin. c. 20. respondet, nullum convenientiorem modum fuisse.* Ita enim **DEVS** declaravit charitatem *Ioh. 3. 1. Ioh. 3, 4.* & iustitiam *Rom. 3, v. 25.* Has causas spectasse Deum, Scriptura testatur. Interim fuit istud consilium liberum, non ex necessitate absoluta profectum. Hinc ergo dicimus, Deum ob absolutam suam potestatem potuisse utique alium modum invenire; nequaquam tamen exclusa satisfactione. Alius modus fortè dari potuisset, sed salvare absque omni satisfactione & iræ placatione impossibile est, quia perirent Dei natura, iustitia, veritas, fieretq; ex Deo non Deus.

ARGUMENTUM XIII. & ult.

A Dei Iustitia.

XCV. *Si nulla est in Deo iustitia talis, que misericordie ejus opponatur, & cui per Christum satisfieri necessum fuerit, dum dogma de satisfactione adprobari nequit. Sed prius est verum. E. & posterius. Socinus p. 8. Osterod. p. 212.*

Iustitia DEI
tributa quid
significet.

XCVI. Antequam verò ad hoc argumentum respondeatur, pauca quædam de iustitia Dei præmittemus. Varia iustitiæ cum Deo attribuitur, significata sunt. Notat 1. *iustitiam & rectitudinem essentialem, Psalm. 11. vers. 7. Justus Jehovah & diligit iustitias.* 2. *Veritatem promissionum, ut iustitia idem sit, quod fidelitas in servando, ideoque conjungitur, 1. Joh. 1, v. 9. fidelis est & iustus, h. e. verax, adde Psalm. 36, v. 7. Esa. 49, v. 9. & c. 3. Voluntatem DEI lege expressam, Ps. 119, v. 12. Docce me iustitias tuas Ps. 19, v. 9. Iustitiæ, id est, præceptiones Domini rectæ. 4. Bonitatem DEI, Rom. 3.*
v. 20.

v. 20. Absq; lege justitia Dei manifestata est. Operum justitiam si intelligat, num illam absque lege revelatam putas? Rom. 1, v. 17. *Justitia DEI revelatur in Evangelio.* Ast hoc tantum bonitatem annunciat. Adde Dan. 9, v. 16. Psal. 51, v. 16. Psal. 69, v. 28. Pl. 71, v. 2. Psal. 143, v. 1. 2. & 6. 5. *Beneficia misericordiae.* 1. Sam. 12, vers. 7. *state, ut disceptem vobiscum de omnibus justitiis Jehovæ quas fecit nobiscum.* 6. *Justitiam & vindicatricem DEI justitiam, quæ est justa in DEO voluntas, quæ bonis benè & malis malè faciens, unicuiq; reddit secundum opera sua, justo judicio.* Ita enim Deus se revelavit, quod per naturam averteret & puniat iniquitatem; amet autem præmiisq; compenset obedientiam. Ista ergo naturalis DEI voluntas de malo puniendo & bono compensando rectè vocatur *justitia.*

XCVII. Negant quidem hanc Photiniani, sed contra Scri. *Probatum est* quæ illius mentionem facit aliquoties, ut Job. 8, vers. 3. *dicari, & vino Num quid DEVS corrumpit judicium, aut omnipotens subvertit, quod judicatrix Deû stum est, Pl. 9, v. 5. Fecisti judicium meum & causam meam, sedisti super justitia. thronum qui judicas justitiam. Pl. 50, v. 6. Annunciabunt cæli justitiam ejus, quia Deus judex est, Plal. 119, v. 137. Iustus es Domine & rectum judicium tuum Plal. 145, v. 17. Iustus Dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Esdræ 9, v. 4. 15. Domine Deus Israel justus es tu, quoniam derelicti sumus, qui salvaremur die hac: Ecce coram te sumus in delicto nostro. Non enim stari potest coram te super hoc. Rom. 1, v. 32. Qui cum justitiam Dei cognoscerent, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum, qui ea faciunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt. 2. Thes. 1, v. 5. 6. *Sustinetis tribulationes euderypta ras dicatas u e'στωs & Jεg in exemplum justii judicij DEI, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patiamini. Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs; qui vos tribulant: & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.**

XCVIII. In primis verò de naturali justitia DEI testatur lex ipsius, partim mentibus nostris insculpta, partim per Moysen promulgata. Hæc enim est regula faciendorum & signum clarissimum voluntatis divinæ, ideòq; DEVM ita sentire putandum est, prout voluntas ipsius lege exprimitur, nempe quod obedientes amare, inobedientibus maledicere velit. Nam qualis est relatio inter signum & signatum: talis est inter legem & DEI voluntatem. Falsum est signum, nisi exprimat signa-

signatum, prout est. Nec signo signatum dicitur, quod à signo discrepare animadvertitur. Quocirca cum lex signum sit divinæ voluntatis, & verò illa maledictionem annunciet omnibus prævaricatoribus, imò actu ipso statim maledictioni subiciat, utiq; in Deo talem voluntatem esse sequitur, si modo debitum signi signatiq; *ἔστιν* & relationem salvam velis. Quocirca quoad Photiniani legem Dei concedunt, uti concedere omnino coguntur, tamdiu justitiam Dei negare haut poterunt, siquidem illa nihil est aliud, quàm iuxta Dei voluntas lege expressa transgressoribus actu ipso maledicendi, observatoribus beneficiendi.

Duo actus justitiæ divine. XCIX. Unde apparet duos justitiæ divinæ diversos sive actus sive effectus esse pro diversitate objectorum. 1. Obedientiam amare & obedienti benefacere. 2. Iniquitatem odisse & inobedienti maledicere. Prior effectus promissionibus. Posterior comminationibus legis exprimitur. Promissiones sunt Lev. 18, v. 5. *Custodite leges meas: Faciens homo vivet in eis.* Luc, 10, v. 28. *Fac hoc & vivet.* Rom, 10, v. 5. *Qui fecerit homo mandata legis, vivet in eis.* Galat. 3, v. 12. *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet per illa.* Psaltes utrumque conjungit Dei justitiam & justitiæ actum. Psal. 11, v. 7. *Iustus Dominus & justitias dilexit.* Comminationes passim leguntur. Gen 2, v. 17. *Quacumq; die comederis, morte morieris.* Deut. 27, vers. ult. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.* Galat. 3, vers. 10. *Quicumq; ex operibus legis sunt, sub execratione sunt.* Hinc de Deo dicitur, quòd odio habeat operantes iniquitatem, Psal. 5, v. 7. *aversetur omnem injustitiam.* Deut. 25, v. 16. *abominatio sit coram ipso via impij.* Prov. 8, v. 7. c. 15. v. 9. Ita ejus sæper impietatem reveletur, Rom. 1, v. 18. Ex quo posteriori actu vel effectu sic colligimus: Quicumque per naturam avertatur iniquitatem, is per naturam justus est, cum injustitia nihil sit aliud, quàm iuxta voluntas peccatorum abominans & peccatorem puniens. Atqui Deus per naturam, hoc est, ob essentialem suam rectitudinem & perfectionem, avertatur iniquitatem. Ergo DEUS per naturam suam justus est. Porro, qui per naturam peccatoribus succenset & indignatur, is per naturam iterum justus est, cum actus secundus semper præsupponat primum, & constans operatio iuxta infallibiliter arguat, in operante ipsam esse & reperiri

periri justitiam. Sicut enim de aliarum virtutum & proprietatum divinarum existentia non nisi ex actibus secundis judicatur, ita quidem, ut ex his illæ sine omni dubio colligantur: Ita etiam ex continuatis justitiæ operibus aliquem justum esse invictè concludimus. Jam verò DEUS per iram peccatoribus succenset & indignatur, testante lege & Scripturâ passim. Quare iterum sequitur, DEUM per naturam vel essentialiter justum esse.

C. Socinus excipit p. 7. 8. 9. Actum illum, abominationem & punitionem, non justitiæ, sed iræ DEI adscribi. Imò punitionem non dici justitiæ sed furorem, vindictam, indignationem.

Num puni-
tio Dei tri-
buatur iræ
ejus vel ju-
stitiæ.

Respond. 1. Subordinata non pugnant. Punire & irato & justo DEO adscribitur. Irato Rom. 1. v. 18. Iusto Rom. 1. v. 32. 2. Thef. 1. v. 6. Omnis enim judex justitiam exequendo erga facinorosos, simul iis indignatur, & succenset. 2. Argumentum inverti potest. Si DEUS irascitur ob peccata, utique justus est, quoniam effectus de causa, & signum de signato testatur. Jam verò irasci peccatoribus, quod DEO competit, est signum justitiæ: DEUS igitur & hoc ipsum justus erit. Nam ira & vindicta DEI, non proveniunt à nuda, absolutaq; sed à justa & per legem expressa voluntate, quâ peccatores averfatur, & maledictioni statim subji-
cit. Nam ut omnis lex non ab arbitrio nudo legislatoris, sed ab ejus voluntate justa & justitiam respiciente proficiscitur: Sic lex divina non est signum & expressio voluntatis nudæ, sed justæ & justitiæ præditæ. Nisi lex DEI scelerato ausu negetur, essentialis justitia DEO adimi non poterit. Et qui adimetur, cum illa sit immutabilis, non minus atque lex ipsa, de qua scriptura Matth. 5. v. 18. Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra, jota unum aut apex unus non præteribit à lege, donec omnia fiant, & Luc. 16. v. 17. facilis est cælum & terram, interire, quàm de lege unum apicem excidere. Cum igitur lex maledicat omni transgressori, utique & in DEO voluntas talis erit, eaque prorsus immutabilis, nisi quis duos contrarios actus absurdè statuatur, nimirum velle DEUM vigore legis & justitiæ peccata punire; & simul ex absoluto nudoque beneplacito nolle peccata punire. Quoniam verò duo contraria simul & ejusdem respectu locum non habent, hinc cum probatum sit, DEUM

K

peccata

peccata punire velle, mox excluditur absolutum illud: nolle, vel nolendi beneplacitum. Imò sicut justitia Dei non potest non amare & remunerare, vi promissionum veracium, obedientiam: Sic eadem justitia non potest non averfari, & maledictioni actu subicere inobedientiam, cum unius justitiæ actus sint, malum pœnis, & bonum præmiis afficere. Ex quibus omnibus sponte fluit hoc *πρόσωπα*, primos parentes; & nos omnes, tanquam transgressores legis, secundum justitiam Dei, æternâ morte, juxta comminationem certissimâ, immutabiliter puniendos fuisse, aut alio modo justitiæ divinæ satisfieri debuisse, non secus ac in judicio humano quod ipsum divinæ justitiæ est vicarium, reus ante debitam satisfactionem justè dimitti nequit.

¶ I. Quibus ita præsuppositis, ad argumentum respondere est quàm facilimum. Negamus enim quod adversarij tanquam certum assumunt, nempe *nullam in Deo essentialem justitiam reperiri*, cum contrarium rationibus benè firmis hætenus stabilitum sit. Quia verò multas exceptiones & ratiunculas contra justitiam Dei effinxere, nunc illas pro magis roboranda thesi nostra ordine discutiemus.

Exceptiones Photiniano- rum, ¶ II. *Exceptio. 1. Deus absolutum habet imperium & summè liber est. Quare homines ex libera voluntate morti mancipavit, & vicissim ex libero voluntate pœnam illam absq; omni satisfactione condonare potest.* Ostorod. p. 215. Socinus contra Covetum p. 9. 10. 11.

Ab absoluto Dei imperio ad negandâ Christi satisfactionē non licet argumentari. Resp. Nuda hæc est assertio, nulla probatio: Quocirca sufficit simplex inficiatio. Ut tamen omne os obstruatur adversariis, distinctâ responsionis membra & infallibiles negationis nostræ causas subjungemus. 1. Totum argumentum rationis phantasiæ superstructum est, quæ intelligere nequit, quomodo DEUS sit liber in agendo, justus & simul misericors. At verò in his mysteriis non ratio consulenda, sed Scriptura unicè aspicienda est. Nostræ enim redemptionis exemplum simile nullum dari, docet Apostolus Rom. 7. 7. Licet igitur in mundo tale quid non contingat, nil tamen ob id Scripturæ decedit. CHRISTUS non dicit: *Ego sum mundus vel consuetudo, sed ego sum via, veritas & vita*, inquit, Cyprianus. Neque hic quæritur de absoluta Dei potentia, quam infi-

mitam.

nitam esse ratio agnoscit & nos lubenter fatemur, sed de ordinata & in verbo DEI revelata, adeoque non quid DEUS absolutè potuerit, sed quid voluerit, & quomodo sese revelaverit. Quocirca cum legamus, DEUM Filio suo non peperisse Rom. 8, 32. sed super ipsum licèt innocentem, omnes iniquitates nostras coniecisse, Esa. 53. v. 7. 8. meritò id credimus, nec ullis ratiunculis ab absoluto Dei imperio & libero arbitrio petitis, ab illa Scripturæ doctrina nos dimoveri patimur. Si enim utrumq; scriptum est, utiq; subordinata erunt, non contraria. Quare prius ex Scripturis probent Deum voluisse, absq; omni satisfactione culpam nobis condonare, quàm ad κρησφύρατον de absoluta Dei potentia confugiant, cum hïc quæstio sit, non tam quid Deus circa salutem generis humani facere potuerit, sed quid faciat, & quid facere velit, juxta patefactionem sui θελήματ^{ος}, verbo comprehensam.

2. DEUS absolutum quidem habet imperium, quia superiori nullibi subjacet: interim tamen seipsum negare nequit, ideoque quod aliis est lex præscripta, hoc Deo est natura, contra quam non agit. Hic quicquid est adversum & inimicum, id sub Dei potestatem & voluntatem non cadit, cum alias Deus sibiipsi contrarius foret. Jam verò peccatum est naturæ Dei adversum. Ergo non potest non illud odisse, non potest non propter illud peccatori maledicere. Nam aliàs justus judex non esset, ut tamen esse debet Psal. 7. v. 12. Ejus enim non est facinorosos pro beneplacito dimittere. Nam ut justitia obedientiam præmiis, sic inobedientiam pœnis afficere immutabiter postulat. Hoc nisi DEUS faciat, justitia distributiva ipsi adimitur.

*Deus sibiipsi
lex est.*

Et suprâ rationes satis pugnantes à Dei natura, lege & veritate attulimus, quibus salvis non potest Deus peccatorem reum absque satisfactione impunitum dimittere. Quocirca sic defendenda est Dei libertas ne tollatur ejus justitia, bonitas & veritas. Sicut enim Deus licèt liber sit, peccare tamen nequit, quia bonus est: ita peccata non potest non odisse & punire, quia natura justus est. Quales enim naturâ sumus, tales res naturâ volumus. Sed Deus natura impietatem aversatur, Prov. 8. v. 7. 8. Ergo natura vult illam sublatam, aut si adsit, punitam. Nisi eum puniret, peccatum.

eatum pro non peccato reputaret, & non tanquam mundi iudex, sed velut ociosus iniquitatis spectator assideret, quod tamen à terreni iudicis officio, qui DEI minister, & iudicij divini imago, alienum est. Quare ut ignis naturaliter non potest non urere, ad motà materia: Sic DEUS, qui ignis consumens est *Deut. 4. v. 24.* ob naturalem suam justitiam non potest non indignari, præsente iniquitate & obedientia.

*Mancipatio
mortis non
fluit ex nu-
da volunta-
te Dei.*

3. Si ex sola & nuda DEI voluntate fluit Mancipatio mortis, mox crassissima inde absurda consequuntur. 1. coram DEO idem esse peccatum & non peccatum, cum erga utrumque naturam pariter sit affectus: 2. Peccatum per se nihil esse, sed potius opinionem, pro diverso voluntaris divinæ arbitrio æstimandam. Ubi verò manet illud Apostoli 1. Cor. 15. v. 56. *Peccati vis est lex?* h. e. justitia lege expressa, non nuda DEI voluntas. 3. DEI amorem erga pios, & odium erga impios non ex naturali rectitudine, sed qualicumque arbitrio dependere. 4. Peccatum naturæ Dei nunquam adversari. Aliàs enim abominaretur & puniret, neque posset peccatorem morte ob peccatum non Mancipare, quod tamen Photiniani asserunt. 5. Idololatriam, blasphemiam, perjurium non esse peccata, si Deus illa vellet, cum ex nuda voluntate illa æstimentur. *Si dicant, Deum talia non velle, quæro de causa.* Si liber est, & omnia potest, cur ista velle non potest? Nil dicent, nisi nobiscum fateantur, ista *ἁμαρτίας* mala, Dei que naturæ & naturali justitiæ contraria esse, ac proinde sub Dei, qui seipsum non negat, voluntatem haut cadere: Ex quo liquet, in quæstione *de peccatis & peccatorum pœna*, non voluntatem nudam sed justam, vel justitia modificatam esse considerandam, sicut iudex terrenus Dei minister *Rom. 13. v. 4. 2. Par. 19. v. 6.* peccata odit, & peccatorem puniit, non quia ipse nudè vult, sed quia justè vult, seu quia justus ipse, & per se justum est, ista fieri.

4. Si absolutum Dei imperium & libertas ejus tam latè extenditur, ego similiter inde colligam, quòd possit, imò debeat omnes homines salvare, si laudem bonitatis & misericordiæ infinite consequi velit. Quis enim ipsi legem tulit: ne hoc faceret? Num Deus alicui superiori subjacet? Expressam igitur rationem Photiniani afferant, cur nobiscum statuunt, solos pœnitentes & fideles à Deo

à Deo salvari posse? Ad decretum confugere nequeunt: quoniam voluntas ejus est libera: potest mutare, quando vult. Cur igitur, Deus ne quidem velle potest, ut præfracti & impoenitentes salventur? Nisi hinc justitiâ Dei naturalem obstare nobiscum fateantur, nihil solidi proferre poterunt. Ideo enim Deus peccatores præfractos non salvat, quoniam justitia Dei, & lex (ejus expressio) peccatores odio habet, & pœnis subjici requirit. Nisi ergo prius justitiæ satisfiat, aut satisfactio Christi fide apprehendatur, illi salvari nequeunt. Si adhuc dicant, *DEVM homines omnes* (ut & Diabolos) *pro absoluta potestate sine satisfactione salvare posse.* Num Deus omnes homines salvare possit?
1. Principium petunt. 2. Scripturis contradicunt. 3. Absurda multa statuit, Deum non odisse peccatorem, peccatum ejus naturæ non adversari, justum judicem haut esse, & similia. Quæ cum sint *ἀτοπώτατα*, statuimus, Deum salvâ naturâ suâ, salvâ justitiâ, salvâ veritate & legis sententiâ non posse peccatum amare, aut peccatorem, quâ sic, diligere, nisi prius reconcilietur, & ira ejus ob peccatum succensa placetur.

5. Si reatus mortis ob peccatum, non ex justitiâ Dei ortum habet, ex injustitiâ fluere consequetur. Nullum enim tertium hic dari, nec excipi potest, esse actum illum non justum, ex liberâ voluntate profectum. Nam adest hinc subjectum habile, in quo vel habitus vel privatio ex infallibili necessitate occurrit. Et omnis actus, quo pœnæ vel præmia distribuuntur, necessariò vel justus, vel injustus est, cum tale sit objectum, circa quod justitia occupatur. Jam verò mancipatio mortis fuit pœna. Facta enim est ob peccatum. Culpa verò & pœna semper relata sunt. Quicquid igitur ob peccatum infligitur, pœnæ rationem habet, & per consequens etiam reatus mortis. Hæc igitur pœna aut justa fuit, aut injusta; si ex justitia ortam negas, sequitur alterum, ex injustitiâ profluxisse. Si & hoc negas, sequetur. 1. aut pœnam non fuisse. 2. aut subjectum habile dari, in quo ne sit habitus, nec privatio. 3. & supplicium distribui, atque sic actum judicalem dari, qui tamen nec sit justus, nec injustus, quæ omnia sunt absurdissima. Quicquid proinde de voluntate dixerint, semper urgebo, *num justa vel injusta fuerit*, Posterius cum falsum, prius erit verum, Aut

tertium dent in subjecto habili inter habitum & privationem; inter duo contraria immediata in actu determinato, id quod est hominem dare, qui nec cæcus sit, nec videat; aut animal quod nec vivum, nec mortuum sit; actum judicij & pœnam, quæ nec justa, nec injusta sit. Quæ omnia cùm manifestâ absurditate laborent, nos inde colligimus genus humanum ex justissimâ Dei justitiâ, per lapsum violata, ideoque pœnam jure & secundum legem infligente atque sic non ex nuda Dei voluntate morti æternæ mancipatum esse, id quod concludendum fuit.

6. *Quæro, Num Deus justè vel injustè homines propter peccatum æternæ damnationi mancipet? Si posterius assumunt, Diabolo magis blasphemi sunt, & ex Deo non Deum faciunt. Si prius, fallum erit, Deum homines peccantes potuisse non mancipare æternæ morti. Sic enim injustè egisset, juris justitiæque suæ immemor. Nam si justam fuit, peccatores damnare, utique contrarium injustum fuit, & p.c. Deo, qui injustè agere non potest, impossibile. Spectat huc insignis locus Scaligeri Ex. 249. Sect. 3. cujus hæc summa: Deus esse optimum, perfectissimum, sibi ipsi legem. Quod ergo statuit, id rectè statuit, & contrarium statuere nequit. Nam quodcumque præter illud rectum est, non est Dei, sed non Dei. Quare si Deus homines peccantes jure & rectè propter peccatum morti mancipat, tum rectum justumque non est, si non mancipentur: ideoque Deus hoc facere non potest, quia non nisi rectè & justè agere potest. Atque sic, cum Photiniani potentiam Dei, ejusque gloriâ maximè defensum ire volunt, eo ipso impugnant, & ex Deo non Deum faciunt, quia illum etiam non rectè operari posse statuunt, quâ impietate & blasphemiâ nulla major cogitari potest. Sequitur verò ex dictis hoc insuper, si Deus homines ob peccatum morti justè mancipavit, ex mortis imperio per nudam ejus voluntatem eximi non posse. Aliàs enim non condemnâisset justè. Quòd cum sit impium dictu, aut justitiæ satisfieri debet, aut ex mortis imperio eximi nequeunt, aut justitiâ tollenda, vel penitus immutanda, h. e. ex Deo non Deus faciendus erit. Ultimum est blasphemum & hæreticum. Priora igitur vera erunt & orthodoxa. Declarant hoc simili Magistratus, qui si parricidam justè morti addixit, sine satisfactione justè dimittere nequit.*

7. Si damnatio est opus justitiæ, sequitur interitum hominis non à solo peccato, sed simul à voluntate Dei efficienter pendere, quod tamen in Calvinianis ipsi tanquam hæreticum vituperant. Est enim contra istud Ose. 13. v. 9. *perditio ex te*. Ratio consequentiæ est: quia dicunt, Deum, si voluisset, facile potuisse hominibus omnem culpam condonare. Hinc ergo sequitur, 1. Deum esse malevolum. 2. causam damnationis esse ejus voluntatem. Si enim voluisset culpam condonare, potuisset, cum nulla sit in ipso justitia, quæ per peccatum sit læsa. Si verò peccatum sit solitaria damnationis causa, Deus non potuisset non damnare, quoniam causâ in actu positâ, certò sequitur effectus. Quòd igitur homines morti sunt subjecti, id non tamen à peccato, quàm voluntate Dei promanabit: Cur ergo scriptum: *Deus non vult mortem morientis*? Ezech. 18. v. 33. Similitudine nudi debitoris declarari hoc potest. Cum debitor in carcerem ob æs alienum conjicitur, debitum quidem hujus captivitatis, quodammodo causa est, principaliter tamen id promanat à creditoris voluntate, qui si debitum condonasset, ut facile potuisset, in carcerem conjectus non fuisset; adeoque illa captivitas *πρωτως* ab inclementia & duritie creditoris proficiscitur. Pari modo si reatus mortis non à justitiâ, sed nudâ Dei voluntate pendet, hoc ipso Deus inclementiæ accusatur, & prima damnationis causa voluntati ejus accepta fertur, quod contra proprias Photinianorum est hypotheses.

8. Si mancipatio mortis à nudâ Dei voluntate provenit, quòd peccatum mereri potuit pœnam. Quod enim est fundamentum hujus meriti? Aliud dici nequit, quàm legis violatio. Cur autem prævaricatio legis meretur pœnam? Aliter responderi nequit, quàm quia justitia ita flagitat. Aut ergo meritum peccati negent, aut justitiam in Deo agnoscant. Sunt enim isthæc relata. Uno posito, ponitur; negato, negatur & alterum. Si ergo statuunt, uti statuendum est, peccatum pœnam jure promereri coram Deo, fateantur oportet, in Deo justitiam esse, quippe quæ sola facit, ut culpa pœnam mereatur. Si verò justitiam in Deo negant, rationem sufficientem non dabunt, cur omne peccatum jure ob violatam legem puniendum sit.

An & cur
Deus tan-
tū illa pec-
cata puniat
quæ conjun-
ctæ sunt cū
impœniten-
tiâ?

CIII. Exc. 2. *Deus non nisi peccata, quæ cum impœnitiâ sunt con-
juncta, punit, reliqua verò si pœnitentiâ accedat, impunita prætermittit, vel
remitte. Quare nulla est in ipso justitia vindicatrix, omnes transgressiones se-
verè puniens.*

Resp. 1. Cur autem impœnitentiam & contumaciam non remittit? Num quia non potest? Ergo absolutum imperium non habet, sui juris non est, homine impotentior est, & causa hujus rei afferri debet. An quia non vult? Ergo immisericors, nec absolutè bonus est, & clementia quorundam hominum, etiam hostibus ignoscentium & beneficientium, erit major misericordiâ Dei. Quicquid hîc responderint, in ipsorum jugulum retorquebimus. 2. Non pugnat Dei justitia & quorundam peccatorum condonatio, sed hæc illam illustrat. Ideò enim pœnitentibus peccata dimittuntur, quoniam satisfactio Christi pro ipsis præstita per fidem imputatur. Semper ergo veniam præcedit satisfactio, non quidem nostra, sed Christi, cujus meritum cū impœnites spernunt, jure damnantur, & legis maledictioni obnoxij manent. 3. Quando adversarij dicunt, non nisi peccata cum impœnitiâ conjuncta puniri: confundunt peccatum ipsum, cum perseverantia in peccato. Peccatum est ἀνομία in genere 1. Iohan. 3. v. 4. nec definitur per impœnitentiam. Hæc autem peccati est accidens. Quare non putetur, Deum hoc duntaxat accidens punire, non peccatum ipsum. Imò verò ἀνομία & vel unicus actus, ut exemplo Adæ patet, æternæ mortis actu ream facit illo ipso tempore, quo committitur, antequam, num perseveraverit peccator, vel secus, aliquid sciatur. Spectat huc istud Jacob. 2. vers. 10. *Quisquis totam legem observaverit, impegit autem in uno, reus factus est omnium.* Est enim Deus justissimus judex, & magna & parva peccata puniens. Si contrà legem fuit, violatur hoc ipso Dei justitia & incurritur maledictio, sive sit solitarius, sive continuatus actus.

CIV. 3. *Legis comminationes sunt pœnitentiâ determinatæ. Quapropter qui illam agunt, iis peccata dimittuntur, non ob aliquam satisfactionem, à justitia Dei requisitam, sed ob solam misericordem Dei voluntatem.*

Resp.

Respond. 1. Disjungit conjungenda. Nam poenitentia non excludit, sed includit CHRISTI satisfactionem, fide apprehendam. Sic enim Scriptura passim describit hominis poenitentiam, in cujus locum Photiniani rem planè novam substituunt. 2. Lex non promittit salutem & vitam sub conditione poenitentiae, sed perfectae impletionis. Legem igitur qui violat, nec plenè observat, maledictioni ejus semper subjacet. Violavit autem Adam, & cum ipso nos omnes. Quare maledictioni actu ipso subjecti fuimus, non demùm subjiciendi, si impoenitentes simus. Hinc CHRISTUS nostri loco factus est maledictum, Galat. 3. & subjectus Legi, ut nos, qui sub lege, & ejus maledictione eramus, redimeret, Galat. 4. Confundunt igitur Photiniani Legem & Evangelium. Lex vitam implentibus: Evangelium duntaxat poenitentibus & fidelibus promittit. 3. Si per solam poenitentiam, hoc est, virtutis studium, comminatio legalis potest mutari & tolli, quid opus erat semine benedicto? An ut viam salutis annuncia- ret? Sed hæc ratio expirat, quoad Patres Veteris Testamenti. Alius Propheta idem præstare potuit, & Scriptura longè alium finem incarnationis & missi Filii exprimit, nempe caput serpentis conterere, Gen. 3. v. 15. redemptionis pretium dare, 1. Timoth. 2. v. 6. & peccata auferre, Hebr. 9. v. 28. &c.

CV. 4. Si in DEO simul est justitia & misericordia, tum in DEVM cadent contraria, respectu ejusdem objecti.

Resp. 1. Scriptura de DEO utrumque affirmat. Qui ergò ista vel contraria vel *ἀντιφατικά* essent? Non debemus, à clarâ literâ recedere ob futiles quasdam deliræ rationis consequentiunculas. 2. Justitia & misericordia non sunt proprietates in se ac per se contrariæ, cum sint ipsa DEI essentia, quæ simplicissima & omnis contrarietatis expers. Interim fatemur, per diversos actus se exercere, ubi notandum istud Scaligeri Exerc. 312. *Non est necessarium, ut si actiones sint contrariæ, etiam essentialia principia.* Inprimis circa hominum peccata proprietates istæ quodammodo dissociatæ & sibi adversæ videbantur. Nam misericordia, juxta naturam suam volebat parcere lapsæ generi humano: justitia & DEI veritas secundum legem postulabat poenam. Cumque neutra istarum

Justitia &
misericordia
in Deo simul
sunt nec pu-
gnant.

L

suam.

*In hac disputa-
tione tu-
gissimum est,
ad Dei vo-
luntatem &
revelationē
unicè pro-
vocare.*

*Nullus
liberum
homo
-ng
-ng*

suam exercere poterat naturam, intervenit CHRISTUS, qui peccati satisfactionem suam utramque conjunxit, ut admirandum justitiæ & misericordiæ temperamentum inde ortum sit. Justitia enim & misericordia DEI simul actu in uno eodemque objecto exerceri nequeunt, nisi medio aliquo modo reconcilientur. Nam justitia flagitat perfectam, legi præstandam, obedientiam, quæ cum in nullo hominum reperitur, mox damnat & maledictioni actu subicit. Ab hac poena si DEI misericordia simpliciter absque ullo medio interveniente liberaret, tum secundum idem, ad idem, & eodem tempore contrarium justitiæ decerneret. Hæc ergo contrarietas ut tolleretur, CHRISTI satisfactio ex singulari Trinitatis consilio intervenit. Ipse enim legem nostri loco perfectè implevit, & pro nobis passus est, ex quo redemptionis operum mirus justitiæ & misericordiæ divinæ consensus elucescit. PECCATI CHRISTUM enim, ex gratia, poenæ pro peccatis debitæ facta est translatio, ut ita salvâ veritate & justitiâ suâ, DEUS in gratiam nos reciperet. Et hæc fuerunt Patrum de hoc mysterio piæ cogitationes, cur DEUS non potuerit nos adoptare ante satisfactionem præstitam. Interim non facilè in has angustias nos depelli patiamur: Sed pro prima & principali causa habeamus DEI voluntatem & ordinationem. Multa enim speciosè opponi possunt de dissidio istarum proprietatum, Num DEVS à seipso dissenserit? Quomodo hoc cum ipsius simplicitate conciliari queat? Num inter Patrem & Filium aliqua fuerit pugna? & quas sibi quæstiones alias curiosa ratio fingit. Quare si quæras, cur Deus non ex sola misericordia absque Christo peccata dimittat? Tutissimum est respondere; Quia sic scriptum, & voluntas DEI non aliter revelata est. In hac simplicitate acquiesco, & conscientiæ meæ optimè satisfacio. Post demonstratam ex Scripturis veritatem, declarationis ergo, & ut omne os obstruatur adversariis, assumi potest illa Patrum responsio, quòd ne quidem aliter fieri potuerit ob DEI justitiam, quæ erat propter peccatum læsa, ideoque poscebat poenam, quæ per Christi satisfactionem à nobis fuit transferenda.

CVI. 5. *Iustitiæ Dei tribuitur remissio peccatorum* Roman. 3. vers. 25.
I. Johan. 3. v. 9. *Ergo justitiæ divinæ non erit proprium peccata punire.* Ostrod. p. 212. Catech. Racov. p. 267.

Resp.

Resp. Neuter locus concludit id, ad quod concludendum a
affertur. Nam 1. Rom. 5. non dicitur, per justitiam peccata re-
mitti, sed in remissione justitiam declarari, quod fit, quatenus in
illa Christi meritum apprehenditur, quo justitiæ satisfactum est.
Tantum igitur abest, ut hoc dicto DEI justitia impugnetur, ut
magis per illud confirmetur & illustretur. Adde, quod non ab-
surdum sit, in isto loco per justitiam intelligere DEI vel veritatem
vel misericordiam, cum vox δικαιωσις utroque sensu in Scri-
pturis haut rarò accipiatur, ut initio hujus argumenti dictum
est. 2. 1. Iohan. 3. quivis videt, justitiam loco veritatis & fidelitatis
esse positam. Si enim confitemur peccata, DEUS est justus, hoc
est, verax & fidelis, qui ista condonat.

CVII. 6. Si justitia DEO foret naturalis neminem salvare, si miseri-
cordia; neminem punire posset. Contra naturam enim suam nemo quicquam
agere potest.

Respond. 1. Aliud sunt attributa, aliud attributorum usus
& exercitium. Illa sunt naturalia, exercitium est liberum, ordi-
natum tamen, non absolutum. 2. Nego consequentiam. Quam-
vis enim DEI justitia sit ipsi naturalis, attamen salvare potest fi-
deles, quoniam per Christum justitiæ satisfactum est. Sic licet sit
misericors, attamen si gratia ejus præfractè negligatur, graviter
succenset & punit. Utrumque stat simul & justitia & misericor-
dia. Per illam damnantur contumaces: Per hanc salvantur fide-
les, uti Scriptura passim inculcat.

CHX. Atque hæc fuerunt præcipua Photinianorum argu-
menta, quæ non nihil prolixius proponere, & plenius refutare
voluimus, quoniam Secta ista triumphum ante victoriam
canere, & de invincibili rationum suarum robore passim glo-
riari incipit, cum tamen nihil aliud sint, quam veræ Sophisti-
cationes & veteratoræ Scripturarum depravationes, quæ quo-
rundam ingeniis, novitatum cupidis, & singularitatum studio-
sis, inque orthodoxa doctrinâ nondum confirmatis perquam
specio-

speciosæ videntur, sed penitùs discussæ instar pomorum' Sodo-
miticorum in cineres abibunt & favillas, CHRISTUS JESUS,
Redemptor & Mediator unicus, in veritate agnita nos confirmet,
& sacrosanctum passionis suæ meritum in cordibus nostris ob-
lignet, quò sit & maneat nostrum in adversis solatium, in peri-
culis asylum, in tentationibus sustentaculum, & de-
niq; in mortis angoribus refrigerium sua-
vissimum & exoptatissimum!

A M E N.

F I N I S.



Fig 2909

(1/3)

ULB Halle 3
 002 387 158





Sb. 206


3 1/2

VO 17

Ant. C.







Inches
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Α Ο Γ Ι Α Σ
R Æ,

an 8

IO XXVI.

IENTIS
NORUM,
STI REDEM-
tisfactionem im-
tuntur.

*Academia ad disputan-
legio proposita.*

SIDIO
ERI, SS. Th. D.
Prof. Publ.

ente,
E LENZIO.
ab hora 2. pomerid.



ERGÆ
NIS, Anno 1615.